



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio VIII. Vtrum Deus cognoscat ens rationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

Quaest. VIII. Vtrum Deus cognoscat, &c. 37

quia esse cognitum etiam potest considerari per modum qualitatis absolutae, sed deus esse cognitum esse relationem rationis: deinde concedo illam relationem fieri per actum reflexum, nego tamen inde colligi omnem relationem rationis esse reflexionem, nam relatio omnipotentiae, visus, dextri &c. nulla est reflexio.

42 Ad probationem partis secundae nego maiorem; deinde transeat maior, & praeterea negatur, quod omnis relatio seu ens factum per simplicem apprehensionem supponat cognitionem aliam priorem se; sufficit enim, ut cognitio terminetur ad obiectum aliter, ac est in se, ut cognoscat unum ad similitudinem alterius, sine eo quod supponatur cognitio actualis illius obiecti, ad cuius similitudinem cognoscitur & fingitur illud, ut videre est in potentia visiva, quae primo ad speciem, & intuitu fingit colorem caeruleum in montibus, sine eo quod ante talem cognitionem supponatur actualis cognitio veri coloris caerulei, ad cuius similitudinem fingitur ille.

43 Ad secundum patet ex dictis. Ad argumentum Patris Hurt. negamus, particulam illam esse significare affirmationem vel negationem formalem; nam recte concipitur essentia, & existentia rei sine affirmatione, & negatione per simplicem apprehensionem, nam apprehensio simplex, quae concipiunt haeretici non dari tres personas in divinis, aut dari tres Deos, est haeretica & erronea apprehensio, & nihilominus est sine affirmatione, & negatione, & ratio est quia ad hoc, ut erret intellectus, sufficit quod eius cognitio, quaecunque illa sit, cognoscat rem aliter ac est, & falso cognoscat, cum autem nostra simplex apprehensio, quia fallibilis est, cognoscat rem aliter ac est, inde evenit, quod erret circa suum obiectum, licet non sit affirmatio, & negatio, & hoc determinate; unde quando representat rem, sicuti est, determinate per illam scimus sine indifferentia illa ex vi illius cognitionis ad errandum, licet ex vi alterius possumus errare, quia cum illa cognitio sit naturalis representatio, essentialiter per suam essentiam determinatur ad illud obiectum representandum, ita ut non habeat indifferentiam ad aliud.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum Deus cognoscat ens rationis.

SECTIO I.

Sententia adversaria ponitur.

1 **P**ATER Gabriel Vazquez singularis in hac re, tom. 2. in 1. p. q. 28. d. sp. 1. 18. c. 4. his argumentis probat Deum nullo modo cognoscere ens rationis.

Primo quia si Deus cognoscit ens rationis, licet non primarie, sed quia prius factum est ab intellectu creato, reuera format in intellectu suo illud ens rationis, quod cognoscit: sed hoc est absurdum: ergo illud ex quo sequitur. Probatur maior; quia Deus conservat virtute sui intellectus ens illud rationis factum ab intellectu creato: sed conservare aliquid etiam factum seu

productum ab alio, est facere, seu producere illud: ergo intellectus divinus, qui conservat ens rationis factum a creatura facit illud. Maior probatur sic, quia illud esse obiectivum, quod res habent in intellectu Dei, habent ut a causa integra ab ipso intellectu divino, cui obijciuntur: sed habere hoc modo est conservari ab illo: ergo. Maior probatur; quia ad illud esse provt est in intellectu divino, non concurrat intellectus humanus: ergo Deus est integra, & adaequata causa entis rationis adhuc post formationem ab intellectu creato: sed hoc tam absurdum est, ac si primario formaretur: ergo.

Secundo probatur; quia si Deus nunc cognoscit entia rationis, ab aeterno illa cognovit, cum nihil cognoscat in tempore, quod ab aeterno non cognoverit, alias Deus mutaretur: sed si Deus ab aeterno cognovit ens rationis, sequitur quod Deus fecerit ab aeterno: ergo Deus non cognovit entia rationis. Probatur minor; quia illud ens rationis quod cognovit Deus antequam ab intellectu humano esset fabricatum, cum ab aeterno nulla sit creatura, a qua habeat esse, & nunc illud habeat, necesse est ut sit effectum a Deo, & actu obiectivum in suo intellectu: sed tale esse obiectivum actu pendens ab intellectu divino, non cooperante, & nondum illud operante intellectu creato, nec est a parte rei, nec potest esse a parte rei aliquid reale: ergo est aliquid rationis factum a solo intellectu divino: fieri igitur debent adversarij posse a Deo fingi ens rationis, si semel concedant posse a Deo cognosci.

Neque obstat, quod tale ens rationis idem cognoscatur a Deo, quia potest ab intellectu creato in tempore confingi, quominus dicamus, cum illud cognoscitur a Deo ab aeterno, ab eo tantum confingi; nam cum ab aeterno solus Deus intellectu suo tribuat illi esse obiectivum actu, quod nondum tribuitur ab intellectu creato, solus Deus dicitur illud esse obiectivum ab aeterno effingere.

Tertio fieri ens rationis & formari, nihil aliud est, quam obijci intellectui, vel intelligi: sed divinus intellectus habet illud sibi obiectivum praesens: ergo facit illud, & format scilicet, non primario, sed occasione nostri intellectus.

Quarto quia impossibile est, quod intellectui divino obijciatur animal rationale, provt in intellectu humano sunt distincta talia praedicata: ergo divinus intellectus non potest illa apprehendere provt distincta sunt & relata consequentia est nota, quia nullus intellectus intelligit nisi quod sibi obiectivum representatur. Antecedens vero sic probatur, conceptus obiectivus nostri intellectus ut sic formaliter pendet a formali nostro conceptu, ita ut a nullo alio ut sic possit representari: sed conceptus formalis quo animal, & rationale distinguuntur, & referuntur, non potest Deo convenire propter suam imperfectionem: ergo conceptus obiectivus animalis & rationis, qui apud humanum intellectum sunt distincti, & relati, non possunt ut ita distincti representari intellectui divino: ergo divinus intellectus nequit cognoscere ens rationis, quod est distinctio illa inter animal, & rationale.

Secunda sententia asserit, Deum non cognoscere entia rationis immediate, & directe: sed tantum ut cognoscibilia ab imperfecto intellectu

lectu nostro sic Smigleus in *logica*, disp. 1. q. 8. §. docent igitur.

7 Probatur sic; quia cognitio entium rationis immediatè, & directè inuoluit in se perfectum modum cognoscendi, qui in Deum cadere non potest; magna enim cognitionis imperfectio est, cognoscere obiectum aliter ac est, porro sic cognoscuntur immediatè & directè entia rationis, cum enim ens rationis consistat in coniunctione, vel compositione impossibili, aut etiam in essentia simplici impossibili, & quæ realiter nunquam esse potest; vnde manifestum est taliter cognoscere ens rationis esse cognoscere tanquam ens id, quod non est ens, & quod est impossibile esse ens, & ex consequenti est cognoscere eum aliter, quam sit; talis enim imperfectio intellectui diuino immediatè tribui non potest.

SECTIO II.

Nostre sententia ponitur & probatur.

8 **P**rima conclusio: Deus cognoscit ens rationis, quod intellectus creatus efficit: est communis hæc sententia, & probatur.

9 Primo, quia omne id, quod continetur sub obiecto scientiæ diuinæ cognoscitur ab illa: sed ens rationis continetur sub obiecto scientiæ diuinæ: ergo ens rationis cognoscitur ab illa. Maior evidens est, minor sic probatur; omne id, quod continetur sub obiecto potentiæ entis participati, & finiti, continetur sub obiecto potentiæ, vel quasi potentiæ entis primi participati, & infiniti, ablatis imperfectionibus; sed ens rationis continetur sub obiecto potentiæ, vel virtutis cognoscitiuæ entis creati, & participati: ergo continetur sub obiecto potentiæ, vel virtutis cognoscitiuæ diuinæ ablatis imperfectionibus. Probatur maior: omnis ratio participata continetur sub illa ratione, à qua participatur: sed omne id, quod continetur sub obiecto potentiæ creatæ est ratio participata vel pars obiecti, potentiæ, vel virtutis increatæ, vel impartiçatæ: ergo omne quod continetur sub obiecto virtutis cognoscitiuæ entis creati, & participati &c. Maior evidens est, quia ideo homo, & Angelus continetur in Deo ablatis imperfectionibus, quia sunt rationes participatæ à Deo; item quia illud, quod est pars, vel quasi pars illius, à quo participat, debet contineri in eo, quod est totum, vel quasi totum illius: sed omnis ratio participata est quasi pars illius eminentialiter, aut æquualiter, à quo participatur; participare enim est partem capere à participato: ergo debet contineri in eo, à quo participat eo modo, quo participat, siue eminentialiter, siue formaliter, siue æquualiter &c. Minor sic probatur.

10 Quia omne id, quod est finitum, & limitatum in aliquo esse, & gradu entis, est participatum ab eo, quod in illo esse, seu gradu entis est diuinum, infinitum, & illimitatum; sed omne id, quod continetur sub obiecto potentiæ creatæ, est finitum, & limitatum in esse obiecti, quia eo modo est obiectum, quo est potentia: sed potentia est finita: ergo obiectum debet esse finitum, vel ex parte sui, vel ex parte modi tendendi ad illud: ergo debet esse participatum ab obiecto diuino sed id est debet esse aliqua pars obiecti di-

uini, essendo aliquid ex illis, quæ in obiecto diuino continentur, non tamen omne: hæc consequentia sic patet; quia obiectum diuinum est infinitum: sed finitum in aliquo genere continetur, vel est pars infiniti in illo genere: ergo obiectum creatum quod in esse obiecti est finitum, continetur sub obiecto diuino quod in esse obiecti est infinitum & impartiçatum, & erit pars, vel quasi pars illius obiecti, quia est participatum ab illo. Maior sic probatur, quia ideo scientia quæcunque, bonitas, iustitia, entitas creata &c. sunt participatæ à scientia, bonitate, entitate diuina, & continentur in illis, non quia sunt scientia vt sic, bonitas vt sic, entitas vt sic: sed quia hæc est infinita, illimitata, & impartiçata, illa vero creata, participata, & finita: ergo omne, quod est finitum &c. sed obiectum virtutis, & potentiæ cognoscitiuæ creatæ est finitum, & limitatum: ergo debet contineri sub obiecto increatæ, & impartiçatæ scientiæ, quod est infinitum, & impartiçatum; ita vt obiectum infinitum sua latitudine comprehendat finitum, & limitatum.

Confirmatur, quia obiectum diuinæ scientiæ, & virtutis cognoscitiuæ Dei est omne scibile, & cognoscibile: ergo includitur in illo, & sub illo continetur quicquid cognoscibile est: sed ens rationis est cognoscibile: ergo ens rationis continetur sub obiecto diuinæ scientiæ; & ratio manifesta à priori est, quia omne, quod vniuersale est, continet quicquid est particulare in illo genere, vnde sub omni homine, seu sub homine vt sic continetur quicunque homo particularis, sicut sub albo vt sic, seu sub omni albo continetur quicquid album est; ex eo quod omne album vniuersale est: sed obiectum scientiæ diuinæ est omne scibile: ergo quodcumque scibile continetur sub obiecto scientiæ diuinæ; cum autem ens rationis sit aliquid scibile vel cognoscibile, necesse est vt continetur sub omni scibili, quod est obiectum scientiæ diuinæ; quare si aliquis concedat ens rationis esse scibile, & ex alio capite neget contineri sub omni scibili contradictoria concedit, scilicet quod omne scibile sit tale, & non sit tale scilicet quod sit omniscibile, & non omniscibile; concedit enim esse omniscibile, vt patet, negat autem esse omniscibile, quia non est ita vniuersale in ratione scibilis, vt comprehendat quodcumque scibile, & in hoc fundatur, quod propositio vniuersalis ad suam veritatem petat, vt quodcumque cum sua veritate contineatur sub illa propositione; quare etiam si infinita obiecta illius propositionis veritatem haberent, & solum vnum obiectum non haberet veritatem, non esset vniuersalis illa veritas, nec esset omnis in ratione veritatis; vnde esset omnis, & non esset omnis; quare si aliquis affirmaret, omnem hominem esse animal rationale, & solus vnus homo esset brutum, & non animal rationale, non posset illa vniuersalis propositio esse vera; itaque certissimum est apud omnes, quod id quod est vniuersale, debeat includere quodcumque illius rationis, in quo vniuersale est: sed obiectum scientiæ diuinæ est omne in ratione cognoscibilis: ergo necessario debet includere sub se quicquid est cognoscibile, ita vt nullum sit tale, quin sub omni cognoscibili includatur.

Maior illa prima & præcipua est manifesta: 11 quia obiectum diuinæ scientiæ debet esse pro-

Quaest. VIII. Vtrum Deus cognoscat, &c. 39

portionatum (loquor de adaequato) & aequale in vniuersalitate scientiae diuinae: sed diuina scientia ita est vniuersalis in ratione scientiae, vt sic non solum scientia: sed omnis scientia: ergo obiectum adaequatum illius scientiae non solum debet esse aliquid scibile vel plura scibilia: sed potius omnisibile: patet hoc manifeste. Nam quod est aliquid, & non omne, non adaequatur cum virtute, quae est omnis in illa ratione; sicut quod est finitum in esse obiecti, non adaequatur cum infinita scientia: sed scientia diuina est omnis in ratione scientiae, & ideo est omnis scientia: ergo obiectum; quod debet adaequari cum illa, & esse aequale illi, debet esse omne in ratione scibilis, ita vt sit omne scibile.

13 Vergetur à paritate rationis; ideo omnipotentia habet pro obiecto omne possibile, tanquam obiectum adaequatum, quia non est quomodo-cumque potentia: sed ita vniuersalis, vt sit omnipotentia, & ideo est talis, quia est à se infinita, & imparticipata: sed scientia diuina aut virtus cognoscitiua diuina est à se, sicut omnipotentia est imparticipata, & infinita, sicut illa: ergo est omnis in ratione scientiae, sicut illa est omnis in ratione potentiae: ergo sicut illa est omnipotentia, quia est omnis in ratione potentiae eminentissimo, & perfectissimo modo, ita haec erit omnis scientia, quia est omnis in ratione scientiae: ergo habet pro obiecto omne scibile: ergo quidquid est scibile continetur intra obiectum scientiae diuinae.

14 Ergo omne scibile cognoscitur à Deo: patet euidenter haec consequentia; omne, quod est obiectum terminatum alicuius potentiae, & quod est scibile ab aliqua virtute, cognoscitur à tali virtute, quando obiectum illi, praecipue si virtus sit infinita, quae extenditur ad omne cognoscibile ab illa comprehendendo quidquid est cognoscibile in suo obiecto, ita vt non possit esse in potentia cognoscendi, quia est actus purus in ratione virtutis cognoscitiuae sine vlla potentialitate ad cognoscendum; quia autem actualiter est purus, & infinitus actus, neque successiue percipit obiectum, sed potius comprehendit actu omne quod est obiectum talis virtutis infinitae.

15 Sed scientia diuina est infinita, & infinite perfecta sine vilo fine, ac limite, & est purus, & perfectissimus, ac infinitus actus permanens sine vlla potentialitate, & successione: ergo cognoscit simul comprehensiue sine vlla successione, & potentialitate actu quidquid continetur sub obiecto adaequato talis scientiae, & quod est obiectum adaequatum illius; sed obiectum adaequatum talis scientiae diuinae non est hoc vel illud cognoscibile, sed omne cognoscibile: ergo scientia diuina actu comprehensiue cognoscit, & attingit omne cognoscibile, ac proinde omne id, quod continetur sub obiecto talis scientiae.

16 Declaratur amplius: omne id, quod continetur sub obiecto scientiae diuinae est cognoscibile à scientia diuina: sed omne quod est cognoscibile à scientia diuina, cognoscitur à Deo per talem scientiam: ergo omne quod continetur sub obiecto scientiae diuinae, cognoscitur à Deo. Maior est euidenter ex ipsis terminis; quia v. g. omne quod continetur sub obiecto potentiae visus est visibile ab illa potentia, & omne id, quod continetur sub obiecto omnipotentiae est possibile à Deo; & ratio est, quia omne id quod est obiectum alicuius potentiae, potest obici tali

potentiae, ab obiciendo enim se obiectum dicitur: & id quod potest obici alicui potentiae, est attingibile ab illa potentia; vnde si potentia est cognoscitiua est cognoscibile ab illa; sicut si potentia est appetitiua est appetibile ab ea; vnde cum scientia diuina sit cognoscitiua, omne obiectum illius est cognoscibile ab illa.

17 Quod autem omne cognoscibile actu cognoscatur à Deo: patet manifeste; nam licet non bene valeat argumentum, est possibile: ergo sit à Deo, nihilominus euidenter est consequentia in materia scientiae ratione disparitatis quae reperitur inter scientiam, & omnipotentiam; omnipotentia enim subditur liberae voluntati Dei, & sic dicitur formaliter necessaria, radicaliter libera; cum autem voluntas, cui subiicitur, & à qua imperatur, sit indifferens ratione propriae libertatis ad volendum & nolendum producere, ad volendum vel nolendum imperare omnipotentiae, vt producat, ratione cuius voluntas libera Dei, licet possit imperare omnipotentiae, vt producat omnia, quae potest, nihilominus pro suo arbitrio, & libito imperat non omne quod potest; cum autem ex alio capite omnipotentia debeat necessario subiici imperio, & libertati voluntatis diuinae, ita vt nullo modo possit transgredi imperium illius, neque possit operari, nisi secundum imperium talis voluntatis, inde est, quod licet omnipotentia possit omne possibile, non producat illud: sed solum id quod hic, & nunc imperat voluntas diuina produci.

18 Econtra vero contingit in scientia; quae quia modo nostro intelligendi est radix diuinae libertatis, ac proinde prior illa, ratione cuius neque subditur diuinae libertati, neque imperatur ab illa: sed potius antecedit omnem actum illius, vnde formalissime, & radicaliter est necessaria, & quia talis necessitas non est potentiae cognoscitiuae: sed actus puri cognoscentis, inde est, quod necessario quidquid est possibile cognosci, vel actu est cognoscibile, actu cognoscat; in qua scientia non datur posse cognoscere separatim, & praecisum ab actu cognoscere: sed potius necessario quidquid potest cognoscere, actu cognoscit, & in hac materia verificatur axioma illud Theologorum maxime celebratum in Concilio Niceno, in diuinis idem est posse, ac esse: sed scientia diuina potest cognoscere omne cognoscibile, hoc est omne quod continetur sub obiecto ipsius scientiae: ergo scientia diuina necessario cognoscit omne cognoscibile, ac proinde omne quod continetur sub obiecto scientiae diuinae, actu cognoscitur à Deo per talem scientiam, licet non omne, quod potest, faciat.

19 Amplius declaratur hoc, quia vt patet ex dictis, Deus cognoscit omne cognoscibile: sed ens rationis est cognoscibile: ergo cognoscitur à Deo. Maior est certa ex D. Paulo ad Hebraeos 4. ibi, cum nihil inuisibile sit in conspectu eius: sed omnia nuda & aperta sunt oculis eius, & ratio est manifesta, quia sicut omnipotentia, quia est infinita in ratione potentis, extenditur potentialiter ad omne possibile, ita scientia diuina quia in ratione actus puri cognoscentis est infinita à se, & imparticipata, extenditur actualiter ad omne cognoscibile, cognoscendo, percipiendo, penetrando, & comprehendendo actu quidquid est cognoscibile.

Minorem distinguunt aduersarij his verbis;
ens

ens rationis est cognoscibile à creatura, concedo,

21 Sed contra; quia impossibile est, quod aliquid sit cognoscibile respectu potentiae finitae, & quod non sit cognoscibile respectu potentiae infinite, & impatiens; quae eminenter continet creaturam, & sic patet, quia illud, quod est intelligibile à potentia creata, est aliquid intelligibile: sed aliquid intelligibile necessario includitur sub omni intelligibili; sicut aliquid possibile continetur sub omni possibili, & aliquid homo sub omni homine: sed omne intelligibile est obiectum omniintelligentiae: ergo aliquid intelligibile continetur sub obiecto omniintelligentiae: sed non est alia omniintelligentia, nisi intelligentia omnem gradum intelligentiae, & omnem perfectionem intelligentiae comprehendens; atqui nulla est huiusmodi, nisi infinita intelligentia, & nulla est infinita intelligentia, & infinite perfecta, nisi intelligentia infiniti, & infinite perfecti intelligentis, & hic est solus Deus: ergo illud, & quodcumque intelligibile est, continetur, & comprehenditur ab omni intelligentia Dei; sicut aliquid & quodcumque possibile ab infinita potentia Dei comprehenditur: sed ens rationis est aliquid cognoscibile: ergo ens rationis comprehenditur ab omni intelligentia Dei, alias Deus non esset infinite intelligens, quia esset aliquid intelligibile, quod non caderet sub intelligentiam diuinam, sicut Deus non esset omnipotens, si aliquid possibile à creatura, non posset facere Deus. Et ratio est, quia singulare, vel particulare continetur sub vniuersali; vnde ex eo quod deficiat aliquid particulare deficit veritas vniuersalis, imo contradictorium est, & maxime impossibile, quod singulare, vel particulare non comprehendatur sub vniuersali; vnde si est vniuersalis haec veritas: omnis homo est animal rationale, subsistit taliter, quia omne, & quodcumque, & quicumque homo est animal rationale: ergo si est vera haec vniuersalis propositio; Deus intelligit omne intelligibile, & ideo est omniintelligens, & infinite intelligens: ergo ideo est vera, quia aliquid, & quodcumque intelligibile intelligitur à Deo, alias si Deus est omniintelligens, hoc est omne intelligibile sciens, sicut omnipotens omne possibile potens, & etiam est verum quod intelligibile non intelligit: ergo haec sunt duae propositiones verae simul Deus hoc intelligit, Deus aliquid non intelligit: sed omne intelligens, aliquid non intelligens sunt duae contradictoriae: ergo verificarentur duae contradictoriae; sicut enim omnis homo est animal, & aliquis homo non est animal, sunt duae contradictoriae; ita similiter, omne intelligens, id est Deus est omne intelligens, Deus est aliquid non intelligens sunt duae contradictoriae: sed quando vna contradictoria est vera, altera est falsa: ergo si ista propositio est fide sancta, & verissima, non solum propter reuelationem: sed etiam propter lumen euidentis intellectus, Deus est omniscius, id est sciens omne; sicut Deus est omnipotens, id est omne potens, falsa erit eius contradictoria; Deus est non sciens aliquid: sed ens rationis est aliquid scibile: ergo falsum est dicere Deus est non sciens ens rationis.

SUBSECTIO I.

Aliae solutiones refutantur.

Dices, sicut non omne possibile continetur sub obiecto omnipotentiae, nam peccatum est aliquid possibile à creaturis, & non est possibile a Deo, sic non omne possibile est scibile à Deo, scilicet ens rationis.

Contra primo, quia in peccato omne quod est possibile continetur sub omnipotentia, & nihil possibile in illo fugit potentiam diuinam; nam in peccato & datur positivum peccati, v.g. in odio Dei vitalis illa entitas supra quam cadit malitia, & hoc ut bonum sit à Deo, ad materiam peccati, & ad positivum eius Deus ut prima, & infinita causa concurret simpliciter, & immediate: & datur malitia, haec autem, cum non sit propriè ens sed in sententia Patris Vaz, ens rationis, & in sententia communi est non esse, & sic non est possibile: sed quia est carentia entis, est defectus entis, & ut sic potius est defectus possibilitatis, quia cum possibilitas sit ad esse, & in carentia non detur esse, imo est absentia esse, v.g. cæcitas non est aliquid: sed potius est non esse visus in oculo, seu defectus illius, & sic facere talem carentiam, potius arguit defectum faciendi, quam potentiam faciendi; & ideo dixit D. Augustinus, tantum ab esse ut diminuat potentiam in Deo non posse facere malitiam peccati, ut potius arguat infinitam potentiam, & in creatura arguit impotentiam potentia ad peccatum; vnde in malitia peccati non datur propriè fieri, sicut non datur propriè esse; vnde licet haec malitia non possit fieri à Deo, nihilominus ideo non est verum dicere, aliquid propriè possibile non potest fieri à Deo, cum illa malitia non sit aliquid possibile propriè: sed ens rationis verè, & propriè cognoscibile: ergo ens rationis continetur sub scientia diuina, & verè, & propriè cognoscitur à Deo, cum ab illo cognoscatur omne propriè, & verè cognoscibile; haec minor sic probatur, quia ens rationis potest cognosci ut ens fictum merè speculatiue: sed hoc non est esse cognoscibile fictè, & impropriè, sed verè, & propriè: ergo ens rationis est verè, & propriè cognoscibile. Minor sic probatur, tunc datur vera cognitio alicuius rei, & cognoscibile est verè, & propriè cognoscibile quando cognoscibile adequatur cum cognitione, & cognitio cum illo, hoc est quando cognoscit obiectum ut in se est; sed quando cognoscit ens rationis, ut ens apparens, & fictio cognoscit ens rationis, sicut est, & adequatum, cognoscitur ens illud, sicut est, & adequatur cognitio cum cognoscibili: ergo verè, & propriè cognoscitur: ergo ens rationis est verè, & propriè cognoscibile: sed omne verè cognoscibile debet cognosci à diuina scientia, & continetur sub cognoscibili diuino: ergo ens rationis, &c.

Et si dicas, ens rationis solum fictè co-
gnosci.

Contra; quia si ens rationis solum fictè posset cognosci, non posset cognosci ut ens rationis: sed omne quod est, eo modo quo est, est cognoscibile: ergo ens rationis potest cognosci, quo est, & ut ens rationis est: ergo potest cognosci.

Quæst. VIII. Vtrum Deus cognoscat, &c. 41

gnosci verè, & non fictè; quod autem ens rationis possit cognosci vt ens fictum, patet: Cognoscibilitas alienius est capacitas rei, vt cognoscatur vt est, quæ sequitur rem ita vt nulla res detur quomodocumque, in qua non detur sua cognoscibilitas: ergo in ente rationis eo modo, quo datur, datur capacitas, vt cognoscatur vt est: ergo vt cognoscatur, vt ens fictum. Virgetur euidenter; quia impossibile est, vt actu sicut fictum cognoscatur, & quod in illo cognito vt sic non detur capacitas passiva, vt cognoscatur; nam ab actu ad potentiam evidens sit argumentum; v. g. hoc est evidens argumentum: ergo cognosco actu: ergo possum cognoscere: sic similiter ens rationis cognoscitur vt ens fictum, & apparet: ergo potest cognosci, vt actu cognoscitur: sed actu cognoscitur vt apparet, & fictum & vt ens rationis: ergo potest cognosci vt sic. Minor sic probatur; quia à me nunc cognoscitur sic, quando in hac definitione dico, ens rationis est ens fictum, apparet & non verum: ecce à me actu cognoscitur, vt est: ergo verè, & propriè & cognoscibile: ergo verè est cognitum à Deo.

26 Nec obstat dicere, quod totum esse entis rationis est cognosci, & cum ens rationis sit fictum, cognosci etiam erit fictum.

27 Contra, quia aliud est obiectum cognitionis, aliud est cognitio ipsa; cognitio enim est realis, & obiectum est fictum; unde licet obiectum cognitionis ratione fictionis non sit verum, & reale, nihilominus tamen cognitio ipsa realis est, & non ficta v. g. ex eo quod cognoscam ego cognitionem falsam, si ipsam cognoscam vt falsam, non sequitur vt falso eam cognoscam, aut quod cognitio illa reflexa sit falsa: sicut non colligitur bene, ex eo quod cognoscam cognitionem hæreticam, si vt hæreticam cognoscam, me hæretice cognoscere, alias quicumque cognoscens hæresim, seu errorem alterius in hæresim incidere necessest; unde qualificatores Inquisitionis, Inquisitores & quod caput est ipse Deus, qui apertè cognoscit, certissimè, & euidenter hæresim, hæretice cognosceret, aut hæreticus esset; quæ omnium maxima hæresis est. Item Deus, qui certissimè percipit falsam cognitionem, & mendacium creaturæ falso, & mendaciter cognosceret: sed non falso cognoscit licet cognoscat falsam cognitionem, quia cognoscit falsum sicut falsum: ergo etiam licet cognoscatur ens fictum, cum tamen cognoscatur vt fictum non fictè, sed verè cognoscitur: ergo est verè cognoscibile, sicut cognitio falsa, licet falsa sit, est tamen verè cognoscibilis.

28 Virgetur, quia mendacia, quæ ab hæreticis proferuntur, v. g. quando Arius asserbat, & pertinaciter docebat in Deo dari negationem personarum diuinarum, & Eutiches asserbat, non dari animam in Christo, & Monotelitæ, qui negabant duas voluntates in eodem Christo Domino; hæc enim mendacia habebat pro obiecto negationes fictas, quæ sine dubio erant entis rationis, negationes nimirum rationis. Item alij hæretici, qui ponebant quatuor personas in diuinis, & fingebant Spiritum sanctum incarnatum esse v. g. Montanus, & Tertolianus, talia enim mendacia proferentes, ac fingentes illam tertiam personam, & hanc vnionem hypostaticam sine dubio entia rationis efficientia: entis rationis, quia nihil aliud

est efficere ens rationis, quam cognoscere rem aliter ac est; atqui isti cognoscebant diuinitatem, & Spiritum sanctum aliter ac est, & non eo modo quo est, scilicet cum quarta persona, quam non habet diuinitas, & cum vnione hypostatica, quam non habet Spiritus sanctus, & idem est de Gilberto Porretano, qui ponebat distinctionem realem inter attributa diuina, relationes, & diuinitatem; atqui hæc omnia figmenta verè vt figmenta cognoscebant Concilia, Sancti Patres, & tota Ecclesia, quæ damnauit illa, tanquam figmenta, & mendacia opposita veritati fidei diuinæ à Deo reuelata; itaque media reuelatione, & luce diuina cognoscebant apertè falsitatem illorum figmentorum: ergo secundum ipsam fidem non potest dici, Deum non cognouisse illa, quia propter quod vnumquodque tale, & illud magis; nam si Ecclesia lumine diuino cognoscit ipsa, à fortiori eodem lumine proprio talia figmenta comprehendit, & perfectissimè cognouit; quia certum est de fide, hæc omnia puniri à Deo qui ponderator est cordium; atqui Deus punit ea, quæ perfectissimè cognoscit, quia ad mentis culpæ accommodat proportionatam poenam quam non potest accommodare nisi vltimo, & comprehensiuè penetrando, quo genere, quo ordine, & modo sit peccatum illud, aut mendacium, & qua ratione à diuina veritate discordet; ergo perfectissimè cognouit Deus omnia figmenta hæreticorum æternis inferorum poenis punienda, præcipuè quia si Deus immediate concurrat ad omnem intellectionem, vt agens infinitè liberum, & intelligens, necesse est, vt cognoscat perfectè figmenta illa facta ab intellectu.

Atqui, vt iam probatum manet, talia figmenta sunt entia rationis propriissimè: ergo Deus secundum rationem naturalem, & fidem nostram perfectissimè cognoscit entia rationis ab intellectu creato fabricata.

Secundo contra: quia in hoc distinguitur omnipotentia à scientia Dei, quod respectu illius potest dari aliquod operabile, quod non sit possibile à Deo propter summam imperfectionem, quam exigit in suo operari; v. g. peccatum sub ratione formali malitiæ ita est imperfectum & eam imperfectionem refundit in operantem, vt non possit sine summa imperfectione produci peccatum formaliter; unde hoc saltem possibile à creatura fieri, non potest fieri ab omnipotentia Dei: sed nullum potest dari cognoscibile, quod dicat imperfectionem in sua cognitione respectu cognoscentis infiniti; imo maxima imperfectio esset in scientia Dei si aliquod etiam imperfectissimum obiectum non cognosceretur ab illa, quid enim imperfectius potest inueniri odio formali Dei, nihilo, priuatione, ignorantia, errore, & hæresi, & nihilominus non cognoscere hæc imperfectissima esset summa imperfectio, & limitatio diuinæ scientiæ, & econtra summa perfectio cognoscere omnia, etiam hæc minutissima; nam summa perfectio luminis est etiam infima, & imperfecta illuminare; quia quanto magis illuminat, tanto magis habet perfectionis extensivæ & intensivæ; & sic ratio quare sol perfectissimus est inter omnia sydera in suo esse, non est alia, nisi quia tot & tam varia, multa, ac minutissima illuminat, & in prouidentia diuina summa perfectio est, quod æquè attendat ad gubernationem maximorum entium, ac ad minimorum moderationem.

31 Et ratio discriminis inter potentiam, & scientiam est, quia cum effectus oritur à causa, & actio, quae producitur ille intimè emanat à causa per quam accipit esse effectus, ipsi causae attribuantur imperfectiones, & defectus quos habet effectus, quia tales defectus potius sunt in existentia actuali, quam in pura possibilitate: ergo si causa tribuit existentiam & esse effectui producendo ipsum, ita similiter producet imperfectionem eiusdem, ac per consequens erit causa talis imperfectior, quae refunditur in talem causam efficienter, sicut formaliter refunditur in ipsum effectum; nam imperfectio effectus respicitur in operatione illius, quia eo modo est fieri, quo est factum esse: sed operatio, per quam producitur effectus, constituit causam in esse operantis formaliter per suum ipsum esse, inde est quod constituat causam efficientem in perfectione propria, quam in se habet, vt quantitas constituit rem quantam, & rem figuratam constituit figuram per ipsam entitatem, quam in se habet: ergo si operatio, quae producitur aliquid imperfectum est operatio imperfecta, & ipsa operatio per suam imperfectionem constituit causam à qua fluit in esse operantis: ergo constituit ipsam in esse operantis imperfectam: ergo aequo iure de primo ad vltimum, vt diximus, imperfectio, & malitia effectus imputatur causae, à qua intimè emanat effectus, & operatio.

32 Obiectum autem cognoscibile, cum merè terminativum extrinsecum sit tam respectu cognitionis, quam respectu cognoscentis, neque cognitio, quae emanat à cognoscente, vniatur intinsecè cum effectu, nihil accipit ab effectu imperfectionis, ac proinde certum est, quod ex defectu illius nihil refundatur in cognoscentem, quia nec obiectum intimè emanat à cognoscente, nec cognoscentis est causa, quare tale obiectum sit imperfectum; vnde minimè debet ei tribui, v.g. maximus defectus refunditur ex odio Dei in illud operantem, & nihilominus nulla imperfectio, nec defectus refunditur in illud cognoscentem ex illius cognitione. Item summa imperfectio est mentiri, haerem proferre, & peccatum facere, & nihilominus nulla est imperfectio hæc omnia facta ab alio cognoscere supra gradus gravitatis, quos hæc omnia continent; imo maxima perfectio est, & sic à iustis, à beatis, & à Deo hæc omnia cognoscuntur, imo adeo bona est hæc cognitio gravitatis peccati, vt sit principium fugiendi peccatum, & convertendi se ad Deum, & amandi illum. Tandem ea est perfectio illius vt sit participatio luminis Dei, Deus enim quomodo varios gradus suppliciorum decrevit, nisi ponderando gradus gravitatis peccatorum; vnde cognitio clara peccati perfectio est, & nihilominus summa infelicitas miseria est facere peccatum, & ex vno refunditur perfectio, & ex alio imperfectio, ita vt peccatum, & haerem facere est imperfectio & continere sub obiecto potentiae peccatum est imperfectio creaturae, quae non cadit in Deum propter infinitam perfectionem suam, & nihilominus habere sub obiecto suae scientiae est perfectio, vt dictum est: ergo perversè dicitur ab adversariis, quod sicut aliquid possibile non continetur sub omnipotentia Dei, ita aliquid scibile non continetur sub scientia Dei; male enim arguitur, quia ex prima non continentia accrescit, indicatur, seu colligitur summa, & infinita perfe-

ctio primae regulae indefectibilis, & ex secunda non continentia colligeretur, & refundetur in Deum summa imperfectio scientiae; vnde colligeretur sine dubio Deum non esse.

Instatur; quia si per impossibile (quod certe possibile est, imo de facto est certissimum) fieri ens rationis non esset cognosci in sententia Patris Vazq. absque dubio hic author concederet efficientiam entis rationis in Deo, & non posset concedere efficientiam; imo ideo de facto negat, quia iudicat, scire esse efficere; nam si scire non esset efficere, scire esset perfectio, & efficere imperfectio: ergo male arguitur ex non posse ad non cognoscere, dicendo aliquid non potest Deus facere: ergo aliquid non cognoscit, & sic bene potest Deus non facere ens rationis, & peccatum propter suam imperfectionem, quae non datur in cognitione peccati entis rationis.

Confirmatur: Deus ob infinitam suam perfectionem in intelligendo non potest non intelligere omne id quod aliquo modo habet rationem entis, & intelligibilis, quare dixit D. Thomas 1. p. q. 14. art. 9. Deum cognoscere omnia, quae sunt in potentia opinandi, imaginandi, vel quocumque modo significandi: sed ens rationis est in potentia imaginandi, & cogitandi, cum de facto cogitetur à mente creata; & aliquo modo est ens, & intelligibile: ergo Deus intelligit ens rationis. Maior est nota, & constat ex D. Paulo ad Hebr. 4. cum nihil invisibile sit in conspectu eius: sed omnia nuda, & aperta sunt oculis eius. Minorem vero probat commune Dialecticorum & metaphysicorum placitum: quod affirmat esse rationis esse quoddam genus entis à re alia diversum, & omnes Doctores, quamvis negent communem entis conceptum præcisum ab ente reali, & rationis, affirmant tamen nomen entis non merè æquivocare, & casu participari ab ente rationis: sed per aliquam analogiam, & proportionalitatem ad verum ens reale; & adducit pro hac sententia Suarez Aristotelem 4. met. in principio; ubi analogiam entis declarat etiam in ordine ad negationem, & privationem, & l. 5. cap. 7. diuidit ens in reale, & rationis, in quo libro non distinguit nomina merè æquivoca: ergo ens rationis est aliquomodo ens, & intelligibile.

Vrgetur; posse intelligere, quod intelligibile est & de facto illud intelligere, etiam si in propria entitate obiectiva sit maxime imperfectum, est maxima perfectio: sed ens rationis est aliquomodo intelligibile, etiam si maxime imperfectum sit in entitate obiectiva: ergo posse illud intelligere, & de facto illud intelligere, est maxima perfectio: sed maxima perfectio Deo denegari non potest: ergo Deus potest, & de facto intelligit ens rationis. Maior constat ex ipsis terminis, nec opus est alia probatione, cum intelligere, & scire in suo conceptu formali nullam includat imperfectionem: sed sit perfectio simpliciter simplex ex eo quod ad res imperfectas aliquo modo terminetur tanquam ad obiectum; Deus enim intelligit corporalia, cum hæc imperfecta sint spiritualium substantiarum comparatione. Minor iam probata manet; nam omne quod intelligitur ab humano intellectu, est aliquomodo intelligibile: sed ens rationis intelligitur ab intellectu humano, illiusque terminatur cognitionem; ergo ens rationis est aliquomodo intelligibile: ergo intelligitur à Deo.

Nec obstat dicere, quod ens rationis sit aliquomodo

Quæst. VIII. Vtrum Deus cognoscat, &c. 43

quomodo factibile, & non sit: ergo licet sit cognoscibile, non ideo debet cognosci à Deo.

- 37 Contra, quia iam supra impugnatum est hoc ex discrimine, & differentia, quæ versatur inter scientiam, & omnipotentiam Dei; nam ex effectione imperfectio refunditur in efficientem, sicut ex cognitione imperfecta, quæ facta est; & ideo effectio entis rationis dicitur imperfectio efficientis illud, non autem refunditur imperfectio entis rationis verè cognoscibilis in cognitionem infirmam, & perfectè cognoscentem illud, vti est; sicut in exemplo peccati patet, vbi cognoscere peccatum est perfectio, & efficere non est nisi imperfectio: ergo licet efficere ens rationis non deat in Deo, sicut nec datur efficere peccatum in ipso, nihilominus reperitur in eo cognoscere vtrumque propter rationem dictam.

SVBSECTIO II.

Secundum argumentum principale ponitur.

- 38 Omne ens participatum comprehenditur à Deo infinita, & perfectissima comprehensione, tam intensiva, quam extensiva: sed virtus factiva, seu cognoscitiva entis rationis est ens participatum à Deo: ergo comprehenditur ab ipso.
- 39 Tunc sic; si Deus non cognosceret clarè, & distinctè ens rationis, Deus non comprehenderet virtutem factivam vel cognoscitivam entis rationis: sed Deus necessario comprehendit: ergo Deus necessario cognoscit distinctè, & clarè ens rationis. Quod autem Deus comprehendat virtutem factivam entis rationis, hoc est intellectum creatum, omnemque creaturam, est de fide, & evidens lumine naturæ, quia cum Deus sit agens intellectuale, nihil producit, quod ignotum sit suæ scientiæ divinæ, & cum cognoscibilitas effectuum creatorum sit finita, & limitata, & Deus habeat infinitam cognitionem, Deus non solum comprehendit, sed supercomprehendit, vt ait Augustinus, & superat infinita comprehensione quicquid cognoscibilitatis est in effectu. Minor, in qua est tota difficultas, sic probatur. Non comprehenditur extensivè causa, & intensivè contentia alicuius, quin comprehendatur omne, quod dependet, & oritur à causâ, vel quasi causâ illius, maxime si sit essentialiter hoc: sed ens rationis dependet essentialiter à virtute factiva creata; ergo ad hoc vt comprehendatur virtus hæc factiva, vel potius factiva entis rationis, necessario debet clarè & distinctè cognosci ens rationis, quod dependet essentialiter à tali virtute factiva illius. Maior probatur ex verbis ipsius Patris Vazq. 1. p. q. 12. art. 8. disp. 5; cap. 3. n. 15. vbi assignans modos comprehensionis sic ait; aliter autem modo dicitur res aliqua comprehenditur, quando non tantum cognoscimus quicquid est in illa formaliter: sed etiam quicquid eam consequi, vel ab ea dependere potest; id enim ad eam aliquomodo pertinet; & rationem reddit, n. 17. his verbis, quia ad rem intelligibilem quatenus ad intellectum refertur, non solum dicuntur pertinere quæ illi intrinseca sunt; sed etiam, quæ ex illa fieri, aut deduci possunt, tanquam aliquid illius, sic enim intelligimus quid ipsa possit, quo circa vt ipsa etiam in

I. P. Tom. II.

intellectuali cognitione comprehendatur, necesse est cognosci quæ ab ipsa oriri possunt; sic dicitur non comprehendere aliquid principum, nisi penetremus omnes conclusiones, quæ ab ipso oriri, & deduci possunt.

Quæ doctrina sumitur ex D. Augustino 4. de *Genesi ad liter. & lib. 11. de civitate Dei, & epist. 112. cap. 8.* sic dicente. Tunc aliquid comprehenditur, cum totum ita videtur, vt nihil illius lateat cognoscentem; & ex D. Thoma 1. p. *quæst. 12. art. 8.* Divo Anselmo in *Monologio, cap. 28.* Tunc sic res non comprehenditur ex his Doctoribus, quando non cognoscuntur omnia quæ ab ipsa oriuntur, & dependent: sed ens rationis dependet essentialiter, & oritur à virtute intellectiva: ergo non comprehenditur virtus intellectiva à Deo, nisi cognoscatur ens rationis, quod dependet essentialiter ab illa, quod etiam à priori sic probatur.

Tunc aliquid comprehenditur perfectissime, 41 quando tota cognoscibilitas illius penetratur à comprehendente: sed si ens rationis non cognosceretur, non penetraretur tota cognoscibilitas intellectus à Deo: ergo non comprehenderetur ab ipso. Maior evidens est. Minor sic demonstratur; illud pertinet ad cognoscibilitatem, quod continetur in virtute, vel quasi virtute illius, & ideo omnes creaturæ pertinent ad cognoscibilitatem comprehensivam Dei, quia continentur in virtute Dei, & dependent essentialiter ab illa; vnde creatura dicitur aliquid creatoris, & sic non potest comprehendere Deus, nisi cognoscantur omnes creaturæ possibiles, vt ait ipse Vazquez tom. 2. 1. part. disp. 144. sed ens rationis continetur, & dependet essentialiter à virtute intellectiva creata: ergo pertinet ad cognoscibilitatem illius; quod autem dependeat, sic patet, quia illud dependet essentialiter ab aliquo, quod totum suum esse habet essentialiter ab illo, & non potest aliter esse vlla potentia: sed ens rationis habet esse essentialiter à potentia cognoscente, ita vt non possit aliter habere esse: ergo ens rationis dependet ab intellectu, vel potentia creata.

Confirmatur: comprehensio Dei est infinita, 42 & infinite perfecta in esse cognitionis: sed non esset huiusmodi, si non cognosceret omnia, quæ dependent essentialiter ab intellectu qui comprehenditur: ergo ad hoc, vt Deus perfectissime comprehendat intellectum humanum, non solum debet cognoscere entitatem, & formalitatem intellectus: sed etiam ens rationis, quod est aliquid intellectus, & dependet essentialiter ab illo. Maior evidens est. Minor sic probatur. Illa cognitio est infinite perfectissima, quæ penetrat omne illius, quod comprehenditur, & ideo D. August. dixit pertinere ad comprehensionem, quæ perfectissima, & infinita cognitio est, vt nihil lateat illius, quod cognoscitur cognoscentem, & nihil illius, vt cognoscibile est, sit extra cognoscentem, quia infinitum vt infinitum, omnia comprehendit: sed si cognitio Dei non cognosceret omne, quod est intellectus, non penetraret omne illud quod est intellectus humani, qui comprehenditur: ergo non esset infinite perfecta. Probatur prima consequentia, ens rationis est aliquid intellectus humani, cum dependeat essentialiter ab illo tam in fieri, quam in conservari, & continetur in illo, vel cognoscitur, vel produciunt; nam ideo creatura est aliquid Dei, quia conservatur, & fit essentialiter, & continetur

tinetur in Deo: ergo ad hoc ut Deus perfectissime comprehendat, &c. Item quia non solum est aliquid causæ quod dependet à causa, sed etiam pertinet ad suam cognoscibilitatem: sed non esset comprehensio infinita, nisi exhauriret totam cognoscibilitatem illius causæ: ergo à Deo, qui comprehendit intellectum, debet etiam cognosci ens rationis, quod pertinet ad intellectus cognoscibilitatem.

43 Possunt respondere aduersarij, illa entia rationis non pertinere ad cognoscibilitatem intellectus, quia non dicit relationem transcendentalem ad ens rationis.

44 Contra, quia hoc esset verum de quacunque cognoscibilitate, non autem de comprehensua, & infinita scientia Dei, quia omnipotentia Dei in sententia Patris Vazquez & omnium probatorum Theologorum non dicit relationem transcendentalem ad creaturas possibiles, & nihilominus, quia dependent à Deo in sua existentia, ita pertinent ad cognoscibilitatem illius comprehensiuam, ut si Deus non cognosceret aliquem effectum, vel omnes creaturas possibiles, ut ait ipse Vazquez, quæ oriuntur secundum esse existentiale ab omnipotentia, non comprehenderet omnipotentiam perfectissimè.

45 Confirmatur; sicut se habet ens rationis ad intellectum, sic se habet iris, & color cæruleus fictus in coelo, apparens (secundum sententiam aduersariorum) ad visum, ut latissime supra probatum manet: sed Deus cognoscit iridem, quia comprehendit potentiam visiuam à qua pendet essentialiter & quasi producit: ergo ex eo quod comprehendat intellectum creatum, à quo dependet ens rationis essentialiter, cognoscit clarissime ens rationis: maior est manifesta, & consequentia à paritate rationis; & etiam quia ubi est eadem ratio, vel quasi ratio formalis &c. Minor sic probatur; quia nemo loquitur de re aliqua & de proprietatibus eius sapientissime, certissime, & prudentissime, qui non cognoscit entitatem, & proprietates illius; imo hispanè dicimus loquentem de eo, quod non intelligit: *habla como papagayo, sin entender lo que dice*: quo modo loquendi ignorantiam illius propalamus: sed Deus loquitur in Scriptura de iride sapientissime, & prudentissime v.g. *Genes. 9.* arcum meum ponam in nubibus &c. cumque obduxero nubibus coelum, apparebit arcus meus in nubibus, & erit signum foederis: ergo Deus cognoscit iridem cum de illo loquatur.

Item loquitur de colore cæruleo *Exod. 24. 10.* ibi: [Et viderunt Deum Israel, & sub pedibus eius quasi opus lapidis, saphirinis & quasi cælum cum serenum est;] id est quasi cælum colore cæruleo imbutum, quia quando cælum serenum est, huiusmodi colorem præ se fert, cum autem color cæruleus coeli in nullius sententia sit verus color, sed apparens & fictus per visum, necessario sequitur cognosci à Deo colorem fictum & apparentem, quia impossibile est aliquem loqui de aliqua re sine cognitione ipsius, quia loquutio est significatio aut manifestatio rei ut conceptæ alloquente; unde eandem rem debet habere in mente quam manifestat in verbis, quod si in animo nihil habeat, neque in voce poterit habere: sed Deus in verbis loquitur de colore cæruleo: ergo sine dubio cognoscit & comprehendit illum.

46 Virgetur hoc ex Patre Suarez, addendo nec-

uos rationi, quam Suarez adfert; ad quod suppono ex doctrina evidenti in metaphysica, quod licet ens rationis non habeat propriam speciem impressam; sed cognoscatur per speciem entis realis, habere tamen propriam speciem expressam, seu proprium conceptum mentis, quo ipsum ens rationis tanquam obiectum repræsentatur intellectui; tunc sic.

Deus perfectissime comprehendit huiusmodi 47 speciem seu conceptum entis rationis: ergo etiam cognoscit ipsum ens rationis: consequentia patet, quia actus non comprehenditur, nisi cognoscatur obiectum, sed obiectum huius actus, seu conceptus mentis est ipsum ens rationis: ergo Deus comprehendens ipsum mentis conceptum, cognoscit etiam ens rationis, quod tanquam obiectum repræsentat conceptus comprehendens.

Pater Vazq. docet ens rationis non repræsentari illo actu, sed extrema realia quæ sunt partes entis rationis.

Sed contra: nam hæc sententia falsa est, quia 49 destruit propriam expressam speciem, & intellectionem entis rationis; si autem est propria species expressa, propriusque conceptus entis rationis, proculdubio ipsum ens rationis est obiectum talis speciei, vel conceptus, quia id est obiectum speciei vel conceptus, cuius fuerit propria species vel conceptus, ut ex terminis constat: sed datur propria species expressa, & proprius conceptus entis rationis: ergo ipsum ens rationis est obiectum talis speciei, & repræsentatur tali conceptu.

Declaratur amplius: vel talis species, aut conceptus naturaliter, & ab intrinseco repræsentat ens rationis, vel non? Hoc vltimum non dices, quia iam negares, quod suppositum concesseras; sequeretur enim non dari cognitionem creatam entis rationis contra experientiam, nam species, & conceptus naturaliter repræsentat suum obiectum: ergo ens rationis est obiectum illius conceptus, quia quod naturaliter repræsentat species, est obiectum speciei, & consequenter debet cognosci à Deo ens rationis. Nam mente intelligibile est, quod ista cognitio comprehendatur à Deo secundum intrinsecam, & naturalem repræsentationem, & quod non cognoscatur ab ipsa naturaliter ens rationis, quod per ipsam essentialiter repræsentatur, præcipue quia ipse Pater Vazquez asserit, non posse vnum principium comprehendere, quin cognoscantur omnes conclusiones, quæ possunt deduci ab illo, & secundum omnes Doctores scientia diuina non potest comprehendere, quin cognoscantur omnia obiecta illius scientiæ, tam primaria quam secundaria; atqui conclusiones non dependent à principio, neque obiecta à scientia per veram, & realem dependentiam, & causalitatem ut ipse Vazq. asserit, neque scientia dicit relationem transcendentalem ad obiecta, & nihilominus quia conclusiones, & obiecta pertinent ad scientiam & ad principia, necessario debent cognosci, ut comprehendantur principia, & scientia: ergo etiam si ens rationis non dependeat essentialiter à cognitione, ex eo præcise quod sit obiectum cognitionis, ut comprehendatur ipsa cognitio.

Virgetur, quia si Deus non cognosceret ens rationis, non cognosceret id quod formaliter est in cognitione creata & reali: sed hoc est falsum: ergo Deus cognoscit ens rationis. Minor est certissima;

Quaest. VIII. Vtrum Deus cognoscat, &c 45

certissima; quia quicquid est in ente creato à Deo formaliter cognoscit Deus, quia cum ipse sit agens intellectuale, nihil producit quod incognitum sit diuinae sapientiae; unde cum quicquid est formaliter in cognitione creata producatur à Deo; inde est, quod quicquid formaliter est in ipsa, cognoscatur ab ipso. Sequela illa maioris sic probatur; in actu intellectus est formaliter representatio entis rationis: sed Deus non cognoscit in actu intellectus representationem entis rationis, quatenus talis est per vos, quia non cognoscit ens rationis: ergo si non cognoscit ens rationis, non cognoscit aliquid, quod est formaliter in actu intellectus. Maior est certa, & conceditur ab eodem Patre Vazquez tom. 2. in 1. p. disp. 1. 8. cap. 4. n. 14. Minor probatur; ut cognoscatur representatio formalis alicuius obiecti, debet cognosci obiectum representatum per illam representationem formaliter: sed Deus non cognoscit obiectum representationem per illam representationem formaliter: ergo non cognoscit illam representationem, ut representatio ea formaliter illius obiecti. Maior probatur; licet scientia diuina sit representatio hominis, & equi, si ex vi illius scientiae tantum cognoscitur equus, non cognoscitur scientia ut est representatio hominis: ergo etiam si Deus cognoscatur representationem extremorum realium, si non cognoscatur ens rationis ex vi illius cognitionis, non cognoscet representationem entis rationis ut talis representatio est: sed talis representatio est aliquid formaliter in cognitione creata: ergo Deus non cognoscit aliquid, quod est formaliter in cognitione creata: ergo Deus non comprehendit illam.

§ 2. Confirmatur hoc exemplo; in huiusmodi actu chimerico; homo est lapis, obiectum representationem non possunt esse extrema realia, homo scilicet, & lapis seorsim: sed potius illa prout coniuncta intentionaliter, & identificata representando illa cognitio identitatem illorum extremorum inter se; tum quia hac ratione ille actus est falsus, & chimericus, seu ficticius, quia intentionaliter vnit extrema repugnantia in re, in hoc autem, quod est representare hominem seorsim, & lapidem seorsim, quae fictio esse potest? Quae falsitas & chimera? Tum quia ille actus est iudicium, & affirmatio, distinguiturque à simplici apprehensione (& in sententia Vazquez à iudicio sit ens rationis) de ratione autem iudicii mentalis est representare extrema intentionaliter unita; tum denum quia ille actus est naturalis imago illius entis rationis, Deus autem perfectissime comprehendit hunc actum representationem hominem unitum, & identificatum cum lapide intentionaliter, ut sic esse falsum, & chimericum, quia talem identitatem representat; ergo cognoscit unionem, & identitatem inter hac repugnantia extrema intentionaliter representantem per intellectus conceptum, & consequenter cognoscit ens rationis, quia illa unio & identitas hominis cum lapide intentionaliter representata ratione cuius ille conceptus est falsus, est ens rationis, ut constat, quia non habet aliud esse, quam fingi, & obijci intellectui, præcipue quia Deus scit à nobis, ut optime ait Pater Hurtado, modo agi de chimæris, quia scit Deus à nobis disputari, hoc enim negare esset sacrilegium, cum Deus immediate, infinite sapiens, & intellectuale agens concurrat ad

nostram cognitionem: ergo aliquomodo apprehendit chimæras, nam si eas non apprehendat, neque de illis conceptum ullum efformat; qui scit à nobis disputari de illis: Vnde certissime dicendum est terminis implicari, dum conceditur cognosci à Deo me disputare de chimæra, quin apprehendat chimæram, imo videtur per se notum à Deo cognosci comprehensiuè chimæram, non directe in illa, ut à se ficta: sed potius directe cognita ut à nobis fabricata.

§ 3. Vergetur, Deus cognoscit veritatem omnium propositionum, cum diuinus intellectus sit prima totius veritatis regula: sed propositio hæc est vera, & euidens; homo non est chimæra: ergo cognoscit intellectus veritatem: sed cognitio propositionis, eiusque veritas pendet ex cognitione extremorum essentialiter: ergo debet Deus vtrumque propositionis extremum cognoscere; at vnum ex extremis est ens rationis formaliter: ergo Deus cognoscit ens rationis formaliter. Econtra vero, cum quis iudicat chimæram existere; Deus cognoscit huiusmodi iudicium esse falsum: sed illud non posset cognoscere, nisi cognosceret obiectum talis actus, quod est chimæra: ergo hanc potest Deus cognoscere, atque adeo ens rationis; chimæra enim ens rationis formaliter est. Probatur minor; ab eo quod res est, vel non est, iudicium intellectus dicitur verum, aut falsum: ergo fieri non potest Deum cognoscere prædictum iudicium esse falsum, quin cognoscat obiectum, quod existere affirmatur, non esse ita, sicut per propositionem significatur: consequentia sic probatur; quia ad hoc ut cognoscatur aliqua propositio falsa debet cognosci illa propositio, ut minime adequans se cum obiecto, vel debet cognosci per illam propositionem rem aliter, ac est, representari: sed non potest cognosci rem aliter ac est representari, nisi cognoscatur priuationem representari ut qualitatem, & hominem representari ut identificatum cum leone, quæ non se habent à parte rei ita: sed cognoscere quod priuatio ut qualitas cognoscatur à Petro, & homo ut identificatus cum leone, est cognoscere qualitatem in priuatione, & identificationem hominis cum leone representatam, & fictam à creatura; huiusmodi enim obiecta sunt entia rationis: ergo cognoscit entia rationis, prout representata, ficta, & fabricata à propositione, & cognitione hominis.

SVBSECTIO III.

Tertium argumentum principale ponitur.

§ 4. Evidenter totum hoc conuincitur: Deus potest dicere certissime; hæc propositio falsa est, & hæretica; Deus est chimæra; Deus est ens rationis: sed non potest dicere certissime illud, nisi clarissime cognosceret essentiam Dei, & essentiam chimæra: ergo Deus cognoscit chimæram secundum iuum esse & essentiam. Maior est de fide, & lumine naturali euidens est; nam quæcumque veritas creata, seu scientia, est in Deo eminentissimo modo & perfectissimo: sed hæc est scientia creata, & veritas creata dum à me profertur hæc propositio, falsum est dicere, Deum esse chimæram, & ens fictum: ergo est eminentissimo

tissimo modo in Deo: sed Deus potest loqui secundum suam perfectissimam scientiam quodcumque voluerit: ergo potest. Minor illa sic probatur. Non potest certissime iudicium ferre, vel formale, vel eminentiale de rebus, vel affirmando vnum de alio, vel negando de illo aliquid quod prædicatum, nisi cognoscatur vtrumque extremum; nam si sine cognitione perfecta extremorum affirmatur, vel negatur aliquid de aliquo, certe tale iudicium obnoxium est falsitati, & in falsitatem potest incidere, falsumque reddi, imo de facto falsum est; quia certissime affirmatur hoc esse illud, vel hoc non esse illud, cum certissime non cognoscatur esse, vel non esse; quomodo enim possum ego certissime affirmare hominem non esse equum, si non cognosco naturam hominis, & naturam equi, & vtrumque inter se repugnare, ex vi prædicatorum suorum essentialium; imo temerarium iudicamus eum, qui sine cognitione duorum extremorum affirmat certissime vnum non esse aliud, vel e contra.

55 Exemplis manifestis hoc conuincio, & illustro; si Petrus diceret non cognoscendo hoc extremum Microcholos, homo non est Microcholos, certe temerarie, & falso procederet; temerarie, quia non cognoscendo prædicatum, & naturam illius, negat de homine, falso; quia negat, quod non est negandum, imo si non negaret, sed affirmaret, dicendo hominem esse Microcholon, diceremus: iste temerarie, & audacter procedit, quia non cognoscendo naturam prædicati, & an conueniat subiecto, affirmat de illo & imprudenter procedere diceremus, tum quia tam certe affirmat quod non certe scit; tum quia in proxima se ponit occasione errandi, & quia obnoxius est falsitati, imo hispane vt imperfectionem illius iudicii explicemus, & imperfectionem illius certitudinis, seu adæquationem illius, qui non cognoscendo vtrumque extremum vnum negat, vel affirmat de alio, solemus dicere; *anque a certo, pero fue esto casualmente, i como a certo, pido errar, y se puso a ester ingo, y assi no se puede escapar de temerario, que ne conociendo la natura leza de las cosas, juzga de ellas; atqui non potest attribui Deo hæc imperfectio: ergo si Deus dicit, certissime hæretica, & falsa est hæc propositio; Deus est chimæra, Deus est ens fictum, ideo est, quia perfectissime cognoscit, & naturam Dei, & naturam entis rationis cum omni suo constitutiuo essentiali secundum quod repugnat identificari cum Deo.*

Urgeo, si ego interrogarem à Deo dum Deus dicit, falsum est dicere, chimæram esse Deum, tu scis certissime chimæram non habere essentiam Dei? Quid responderet Deus? Absque dubio diceret, se certissime scire. Ergo Deus cognoscit naturam chimære, cum sciat non esse naturam Dei, qui talis naturæ est, vt illi repugnet esse Deum. Nam si Deus non cognosceret essentiam, & naturam chimære, quomodo posset scire talem naturam esse, cui repugnet esse Deum, quia illa repugnantia fundatur in essentia, & in sententia aduersariorum est idem negatio Dei in chimæra, & talis essentia chimære, quia per suam essentiam, quatenus ficta & ens rationis est, repugnat esse Deum, & non est Deus: ergo qui cognoscit perfectissime, & sapientissime illam repugnantiam, quæ est de essentia

chimære, cognoscit, & ipsam essentiam, quæ idem est cum illa repugnantia, cum repugnantia non possit cognosci, nisi cognoscatur illud, ratione cuius sit illa: sicut non potest cognosci repugnantia in homine respectu equi, si non cognoscatur, hominem esse animal rationale, & equum esse irrationale, & irrationale dicere negationem, & dictam repugnantiam respectu hominis, & hominem respectu equi.

Deinde Deus, vt diximus scit infinite seipsum non esse chimæram, & ens rationis; si enim quæramus à Deo vnde sciat potius, Deum esse ens independens, quam chimæram, ens rationis? Absque dubio dicit, quia scio me esse à parte rei infinitum absolute, à me ipso necessario, & realiter existens sine vlla fictione, & si aliquis instaret stulte, forte etiam ens rationis existens esse à se infinite existens à parte rei necessario; sine dubio Deus diceret falleris, quia certissimum est chimæram, & ens rationis non esse ens reale infinitum: sed potius imperfectissimum, fictum, purum, obiectivum in cognitione propter suam imperfectionem. Sed hoc est cognoscere perfecte essentiam entis rationis: ergo Deus illam cognoscit, alias si Deus non cognosceret, essentiam illam, anceps, & dubius remaneret nec determinate, & certe affirmaret illam chimæram non esse Deum; quia imprudenter procederet, cum non certum de illa re iudicaret tam determinate; vnde & imperfectissime procederet cum se manifestissimo errori ea falsitate exponeret, affirmando quod non scit, vt manifeste patet: ergo ne has imperfectiones in Deum accumulamus, dicendum est, Deum perfectissime cognoscere ens rationis.

Nec potest dici, quod Deus dum sic interrogatur, suspendatur, & non possit respondere, nec possit determinari; nam hoc infinite abhorret ab infinita, & perfectissima scientia, nimirum, quod non sciat an ipse sit, vel non sit chimæra; ô miserimus Deus ab istis tam miseris miseris fictus, qui tam indigne sentiant de tam infinite perfecto ente, & de tam infinite sapiente; quod audent dicere, Deum dicere non posse inter Deum, ac chimæram, nec posse certe cognoscere, an sit ipse Deus chimæra, vel non; quod hispane dicere solemus. *Sabe tan poco, que aun no sabe, qual es su mano derecha, ni sabe distinguir entre blanco, y negro*: Maxime enim chimæricum est ad tot ignorantie angustias coarctate nostrum infinitum creatorem; cetam Deo enim trement columnæ celorum, & Cherubin, quæ plenitudo scientiæ interpretantur velabant faciem suam propriam ignorantiam consentientes, vtinam isti authores aliquando temerarie ob solum propria iudicia defendenda, non determinate infinitudinem, & Deitatem tolerant; quid mirum cum tam indigne sentiant de Deo, vt negent scientiæ Dei, quod ipsi scient, tunc scis Deum non esse chimæram determinate, & te non esse chimæram, cum sis miserimus homuncio, quid enim negas, Deum seipsum cognoscere, non esse suam fictionem?

Quarto sic proba illud totum, & præcipuum fundamentum Patris Vaz.

Si propter aliquam rationem non esset concedenda cognitio entis rationis in Deo, maxime quia sequitur, quod Deus ex eo quod cognoscit, faciat ens rationis: sed facere est summa imperfectio: ergo. Sed hæc ratio non recte procedit.

Quaest. VIII. Vtrum Deus cognoscat, &c. 47

cedit: ergo fundamentum vnicum, & Achilles Vazquez vti debilissimum sua tenuitate corrui. Nam primo interrogo, an solum præcisè cognoscere sit facere ens rationis, & nulla alia imperfectio, vel aliud amplius misceatur in tali efficientia, præter cognitionem; si enim purè cognoscere est facere, & purè cognoscere, vt probatum est, nulla est imperfectio, imo vt ait D. Thomas, & ratio naturalis dicitur; summa perfectio scientiæ est, etiam ad imperfectissimam & minutissimam descendere, vt satis latissime demonstratum manet: ergo si facere est tantum purum cognoscere ens rationis, & cognoscere ens rationis nulla sit imperfectio; sed maxima perfectio quantum est de se, non solum erit concedendum in Deo talem scientiam dari: sed etiam vt nullum inconueniens est concedere talem efficientiam.

60 Inquit Vazquez, facere aliquid amplius, præter purum cognoscere est, nimirum cognoscere fingendo, & cognoscendo rem aliter ac est, & cum hæc sit imperfectio, non potest concedi Deo.

61 Sed contra primo non sequitur, quod semper ac cognoscitur ens rationis, fingatur; nec sequitur, quod cognoscatur res aliter ac est, quia separabiles sunt cognitiones, quæ fingunt ab iis, quæ cognoscunt ens rationis, vt in se est, & cum veritate cognoscendo scilicet ens rationis, vt fictum, & non verum ens: ergo potest reperiri hæc cognitio, quæ perfecta, & vera est in Deo circa ens rationis, sine eo quod necessario reperitur illa cognitio, quæ est fictio entis rationis falsa, imperfecta, & quæ fabricatio illius nominatur: ergo friuolum est fundamentum aduersarium, & procedit ex ignorantia distinctionis, & separationis illarum cognitionum; quapropter conclusio falsa erit & friuola.

Primum antecedens sic demonstratur; quia hæc cognitio: ens rationis est ens fictum, & chimæra est identitas falsa, & ficta inter hominem, & leonem, seu est ens compositum sine fundamento veritatis, non est fictio, nec est falsa, sed vera cognitio, nec est compositio, seu fabricatio entis rationis: sed potius est destructio, vt ita dicam, & detectio falsitatis entis rationis, seu cognitionis fingentis ens rationis, dum asserit, ens rationis est fictum, & cognitio, per quam fit, est falsa cognitio; vnde qui sic loquitur, cognoscit hominem fingentem esse deceptum in hoc, quod cognoscat vt ens, quod non est ens, & componat, seu coniungat incompatibilia inter se, quod potius destruere, quam facere ens rationis est: v. g. fingit Arius diuinitatem monstruosam carentem illa infinita perfectione Trinitatis, & fecunditatis diuinæ ad intra, Filium enim minorem Patre fingeat, ac proinde non esse Deum prædicat; quare enim fingeat illud monstruosum ens rationis? Fortè quia cognoscebat, dicere Filium minorem Patre, esse commentitium, & figmentum, & carentiam illius secundæ personæ in diuinis esse phantasticam, & deceptionem? Minimè quidem, nam si hoc ita contingeret, potius esset rectè, & perfectè cognoscere, detegere ignorantiam, referre errorem, reuelare hæresim, & destruere illud monstrum rationis, quam illud fingere, expellere tandem densissimas illas ignorantiae & fictionis tenebras, lucidissimo, ac splendens claritatis radio; alias tota Ecclesia, & vniuersa Concilia, vt supra dixi contra figmenta

illa Ariana collecta, ens illud fingerent; vnde & errorem; imo & in hæresim inciderent; quia nihil aliud est errorem, & hæresim operari; nisi fingere in Deo non dari Trinitatem personarum, fingere Verbum diuinum esse minorem Patre, & non habere essentiam increatam, ideoque falsum Doctores, vt Hieronymus, Augustinus, & Hilarius agentes de hac hæresi, imo & Concilia v. g. Nicenum illud magnum sub Syluestro, imperante Constantino Magno, præsidibus Olio Episcopo Cordubensi, & Victore presbytero, vti Sedis Apostolicæ Legatis, vbi octodecim supra trecentos Patres adfuerunt, decernendo veritatem Catholicam, vocat figmentum, fictionem, & deceptionem hæresim illam: ergo si fingere est errare & in hæresim incidere, & cognoscere quomodocumque hæresim, & fictionem, seu errorem obiectivum est fingere de primo ad vltimum, Ecclesia tota errauit, in hæresim incidit; imo Christus, qui sub specie pueri scindens sua vestimenta tunc temporis Alexandro Alexandria Patriarchæ apparuit, & reuelauit illa visione hæresim Ariana, errauit, in hæresim incidit, quod est insignis, valdeque detestanda hæresis.

Vnde vt certissimum dicendum est cognoscere ens rationis vt fictum, & vt apparet veram cognitionem esse, & non esse fabricationem entis rationis: v. g. cognoscere mendacium fictum ab homine vt fictum contra veritatem, non est mendacium facere, neque mentiri; esset autem mentiri & mendacium, si aliquis assereret, tale mendacium non esse mendacium, sed veritatem; & affirmaret ita esse rem, vt per mendacium iam factum asseritur; At vero cognoscere illud vt figmentum devians à veritate, vt diximus, non est falsa, sed vera, non est imperfecta, sed perfecta, non fictio, & fabricatio entis rationis, sed potius est oppugnatio, & destructio illius; imo hæc cognitio qua cognoscitur purè speculatiue ens rationis, vt ens fictum, est realiter distincta à cognitione, qua cognoscitur res aliter ac est, & à cognitione, qua fingitur ens rationis; ratione cuius est omnino independens & separabilis ab illa, imo de facto separatur in homine, nam postquam quis cognouit rem aliter ac est, v. g. per simplicem apprehensionem Angelum vt iuuenem alatum, Deum vt solem immensæ claritatis & lucis, per iudicium destruit id quod cognouerat per simplicem apprehensionem, dicendo, & afirmando, licet à me cognoscatur Deus, Angelus vt iuuenis alatus, nullo modo est talis, nec Deus est propriè & verè sol, sed spiritus purissimus, infinitus, omnino distinctus à sole; cognoscimus enim spiritualia, vt corporea, tum propter fragilitatem nostram & imperfectum modum intelligendi mentis nostræ, dum corporis ergastulis detinetur; tum quia caremus speciebus propriis rerum spiritualium, & illas per species quas habemus rerum corporearum cognoscimus.

Ecce quomodo dantur duæ cognitiones; prima, quæ fabricat ens rationis, eo quod cognoscit rem aliter ac est. Secunda, quæ solum est purè speculatiua entis rationis iam fabricati, cognoscens ipsum sicuti est. Prima est falsa cognitio; secunda verissima, & distincta à prima ac separabilis omnino ab ea. Item si aliquis, vt hæreticus diceret non dari Trinitatem personarum in diuinis, & postea diuino Numinis auxilio illuminatus

natus resipisceret, cognosceretque se errasse, iudicaretque fictum esse illud monstruosum commentum in hoc casu de hoc secundo iudicio quis, etiam amens dicere auderet, esse fictionem, ac falsam cognitionem? Certè nullus, quia tam hæc est, & contra fidem dicere; non dantur tres personæ in diuinis, ac dicere falsum, & erroneum est asserere, esse tres personas in diuinis, & condemnare conditionem Arrianam; tanquam falsam, & hæreticam: ergo si vna cognitio non est realiter fictio: sed diuina reuelatio, & articulus de fide, & verissima, ac perfecta cognitio digna Deo; alia autem est detestanda hæresis, falsissima, & erronea cognitio, distinguuntur sine dubio realiter separabunturque necessario inter se, vt de facto separantur in catholicis, & Doctoribus Ecclesiæ, qui cognoscunt figmenta Lutheri, Caluini, Arii & alia id genus entia ficta, & rationis, & non fingunt illa: ergo similiter poterit dari vna cognitio sine alia in Deo vera sine falsa, destructio entis rationis sine fictione illius, purè speculatiua cognitio chimeræ sine cognitione practica illius.

Ex quo euidenter colligitur, si catholicè, & sapienter loquamur, nullius momenti esse hunc syllogismum. Datur in Deo per vos cognitio entis rationis, per quam perfectissimè cognoscit, tale ens esse fictum, procedereque à cognitione imperfecta, & falsa hominis cognoscentis rem aliter, ac est in se: ergo datur in Deo fictio, & productio entis rationis, & cognoscit rem aliter ac est in se; quæ collectio similis omnino est huic: Deus cognoscit errorem, ignorantiam actualem, cognitionem mendosam hæreticam, vt tales, & cum omnibus imperfectionibus, quas in seipsis habent: ergo Deus cognoscit cognitionem mendosam, erroneam, falsam, & imperfectam, fingit, errat, mendacium & ignorantiam fabricatur, absit tam ignorans, erroneus, & mendax colligendi, & arguendi modus, fateamurque nostram ignorantiam, & infinitam Dei sapientiam miris laudibus prædicemus, & collaudemus, quæ cognoscit nostra figmenta sine fictione, nostra mendacia cum summa veritate, nostros errores cum summa scientia, sicut spiritali & infinito modo corporea, & finita comprehendit.

62 Secundo contra; quia apud ipsum Patrem Vazquez ens rationis fit per actum fingentem: sed si Deus cognosceret ens rationis ab homine fabricatum, nihil fingeret (supponamus per impossibile Deum in tua sententia cognoscere ens rationis: ergo etiam si Deus cognoscat huiusmodi ens fictum ab homine, non faciet illud; minor in qua est difficultas sic probatur; quia fictio est actus intellectus difformis, & non conformis obiecto: sed actus, quo Deus cognosceret ens rationis fabricatum ab intellectu, vt apparens omnino fictum, & non verum, non esset difformis, sed conformis obiecto: ergo etiam si cognosceret illud, non fingeret; vnde cognitio illius non esset fictio. Minor sic demonstratur, quia illa est cognitio conformis obiecto, & non difformis illi, quæ repræsentat, & cognoscit obiectum sicuti est, & non aliter ac est: sed illa cognitio Dei repræsentaret & cognosceret ens rationis, quod est apparens, vt apparens, quod est fictum vt fictum, & quod non est à parte rei: sed solum fabricatum ab intellectu vt tale, quod est cognoscere ens rationis, quod est obiectum talis cognitionis, sicuti est & non aliter ac est: ergo talis

cognitio non est fictio: sed vera, & propria speculatio entis rationis.

Item quia respectu intellectus diuini illud obiectum non est solum obiectiue, siquidem extra intellectum diuinum in intellectu humano est purè obiectiue; vnde Deus cognoscit illud ens rationis nihil esse ex parte obiecti à parte rei: sed illud esse fictum, fingendum, aut fictibile ab humano intellectu: ergo extra intellectum Dei est ens rationis eo modo, quo cognoscitur à Deo: ergo illud obiectum non habet esse obiectiue tantum in intellectu diuino; vnde intellectio, qua cognoscit ens rationis, non est fabricatio illius, nec Deus cognoscens ens rationis factum ab homine, aliquid fingit; cum non tribuat Deus illi purum esse obiectum, nec existit purè obiectiue in intellectu diuino, cum ita existat extra intellectum diuinum eo modo quo intellectus diuinus cognoscit illud.

SVBSECTIO IV.

Vltimum argumentum principale ponitur.

SI Deus non cognosceret ens rationis, faceret ens rationis; sed Deus non potest facere ens rationis, vt probabimus *quæst. sequenti*, & est absurdum quod intendit vitare Pater Vazq. ergo Deus cognoscit ens rationis. Maior probatur. Facere ens rationis, est cognoscere rem aliter ac est in se: sed si Deus non cognosceret rem aliter ac est in se: ergo faceret ens rationis. Maior est definitio effectiois entis rationis. Minor probatur. Actus nostri intellectus in se, & à parte rei repræsentant ens rationis: sed Deus cognoscit, ac si non repræsentaret illud: ergo cognoscit rem aliter ac est in se.

Dices, Deum non cognoscere actum intellectus, ac si non repræsentaret ens rationis: sed tantum vt repræsentantem extrema realia; sicut quando homo cognoscit essentiam diuinam solum vt repræsentantem hominem, etiam si non cognoscat vt repræsentantem equum, & sic non facere ens rationis.

Sed contra: ergo Deus facit distinctionem rationis. Probatur consequentia: tunc aliquis intellectus in obiecto facit distinctionem rationis, quando vnam formalitatem cognoscit sine alia: sed Deus in nostra cognitione vnam formalitatem cognoscit sine alia: ergo facit distinctionem rationis. Maior est certa, & patet in exemplo posito de scientia diuina; quando cognoscimus scientiam diuinam vt est repræsentatio Dei, & non vt est repræsentatio equi, distinguimus ipsam essentiam diuinam formaliter & per rationem, & quando cognoscimus ipsam scientiam diuinam vt est repræsentatio hominis, & non vt est repræsentatio equi, distinguimus idem diuinam hominis ab idem equi; & ratio à priori est, quia quoties vnum cognoscimus, non cognito alio, quod est idem realiter cum ipso, intelligibiliter separamus vnum ab alio: sed separari vnum ab alio sub ea ratione, qua separetur est distinguere vnum ab alio: ergo intelligibiliter distinguimus vnum ab alio. Minor præcipua probatur. Deus cognoscit repræsentationem extremorum realium in nostra cognitione, &

Quæst. VIII. Vtrum Deus cognoscat, &c. 49

& non cognoscit representationem obiecti rationis: sed illæ sunt duæ formalitates in eadem cognitione: ergo cognoscit vnā formalitatem, non cognita alia: ergo distinguit vnā ab alia: ergo Deus facit distinctionem rationis.

Confirmatur; si Deus non cognoscit ens rationis, non cognoscit iudicium nostrum falsum, vt falsum: ergo cognoscit rem aliter ac est in se. Probatur antecedens, hoc iudicium v. g. homo est quantitas, in tantum est falsum, in quantum habet pro obiecto identitatem quantitatis cum homine & vnionem illorum extremorum: sed Deus non cognoscit illam vnionem, quia est ens rationis: ergo non cognoscit falsitatem iudicij: ergo non cognoscit iudicium vt falsum: ergo cognoscit illud vt verum: patet consequentia; quia inter iudicium verum, & falsum à parte rei non datur medium: sed Deus non potest cognoscere iudicium illud, vt falsum: ergo cognoscit vt verum: ergo cognoscit rem aliter, ac est in se: ergo facit ens rationis.

Confirmatur secundo, & ante confirmationem aduerte, mendacium esse duplex aliud materiale, & hoc est, quando propositio conformatur cum mente loquentis, non tamen cum obiecto prout est à parte rei: v. g. currit Petrus, & si ego intelligam non currere, & dicam quod non currit erit mendacium materiale, quia propositio conformatur cum mea cognitione, & non conformatur cum obiecto, prout existit à parte rei. Mendacium autem formale, quando propositio non conformatur cum cognitione loquentis, & si conformetur cum obiecto prout est à parte rei: vt si Petrus currat, & ego intelligam, quod non currit, & dicam, quod currit; illud est mendacium formale, quia licet propositio conformetur cum obiecto prout est à parte rei, non conformatur cum mea cognitione: quo posito sic argumentor.

Deo repugnat omne mendacium, tam formale, quam materiale: sed si Deus non cognosceret ens rationis, vel non posset loqui de actu, quo ego facio ens rationis, quod absurdum est, illi non repugnaret omne mendacium: ergo Deus cognoscit ens rationis. Maior est de fide, vt late probat Suarez in materia de fide, *tract. 1. disp. 3. sect. 5. per totam*. Minor probatur; si Deus loqueretur de cognitione hominis fingente ens rationis, deberet loqui non conformando se cum sua cognitione, dicendo actum intellectus humani esse representationem entis rationis, & tamen esset mendax formaliter: sed hoc est absurdum & contra fidem: ergo non est dicendum: ergo deberet conformari cum sua cognitione in loquutione illa: sed tunc esset mendacium materialiter: ergo &c. Probatur minor, quia tunc loquutio diuina non conformaretur cum obiecto prout est à parte rei: sed prout cognoscitur à Deo: sed loquutio, quæ non conformatur cum obiecto prout est à parte rei, etiam si conformetur cum illo prout cognoscitur à loquente, est mendacium materiale: ergo illa loquutio diuina esset mendacium materiale: ne ergo incidatur in hoc absurdum, dicendum est Deum cognoscere ens rationis.

J. P. Tom. II.

SECTIO III.

Secunda conclusio ponitur.

DEus in se, & directe cognoscit purè speculatiue ens rationis; hæc est contra Simplicium, & probatur euidenter sic: ens rationis fictum ab intellectu humano est cognoscibile in se immediatè: sed omne cognoscibile eo modo quo est cognoscibile debet cognosci à Deo: ergo ens rationis quod est cognoscibile immediatè, & in se, cognoscitur à Deo. Maior sic probatur; quia illud est cognoscibile immediatè, & in se, quod actu immediatè, & in se cognoscitur: sed intellectus creatus immediatè, & in se cognoscit ens rationis; nam hæc cognitio, ens rationis est fictum, & non verum, est cui repugnat existere à parte rei, est cognitio sine aliquo medio terminata ad naturam entis rationis, in illa enim cognitione, nec intellectus creatus; nec aliquid aliud præter ens rationis immediatè attingitur, in ipsaque representatur: ergo immediatè, & in se est cognoscibile: patet hæc consequentia euidenter; quia ab actu ad potentiam euidenter est consequentia; sed ens rationis actu cognoscitur immediatè: ergo ens rationis habet non repugnantiam seu capacitatem logicam, vt cognoscatur actu immediatè, nam si non haberet capacitatem, & non repugnantiam haberet repugnantiam; cum repugnantia enim actus non potest compati actus; ergo non esset talis actus, sicut quia chimæra repugnat existere, est inexistentis à parte rei & sic non existit necessario essentialiter; vnde econtra actu cognoscitur: ergo non repugnat cognosci in se, & immediatè: ergo habet non repugnantiam: ergo est cognoscibile immediatè &c. Deinde quia vt ens rationis extrinsecè terminet actum cognitionis in se, non est necesse vt actu realiter existant, sed sufficit vt non habeant repugnantiam vt actu cognoscantur, vt distincta ab ente reali, & præcipue quia cognitio, quæ ad ens rationis terminatur, non affirmat ipsa esse à parte rei, sed ea esse entia ficta: ergo siue sint realia, siue non, in se sunt immediatè cognoscibilia; præcipue quia ens rationis eo modo quo est, habet esse distinctum ab ente reali, & ab intellectu creato per immediatam negationem vnius respectu alterius; nam est verum dicere; ens rationis in se, & immediatè non est ens reale, nec intellectus creatus; at intellectus creatus immediatè non est ens rationis: entia enim rationis non distinguuntur per aliud à quocumque alio: sed per proprium esse immediatè; nam ab intellectu, & cogitatione creata distinguitur ens rationis, rogo per quod distinguatur, non per aliud, quia vel illud aliud est ens rationis, & de illo interrogo, an & per quid distinguatur, vel illud aliud est reale; & ab illo debet distingui, vel per se, vel per aliud; si per aliud, proceditur in infinitum; nec per se, quia impossibile est quod ratio formalis distinguendi sit ipsum extremum, à quo est distinctio, vt latissime in Metaphysica probatum relinquo: ergo per seipsum est distinctum immediatè: ergo immediatè habet aliud esse ab intellectu: ergo aliam cognoscibilitatem quia cognoscibilitas sequitur esse: sed ens rationis ha-

bet immediatè esse distinctum ab intellectu, & ab intellectione, & ab omni esse creato vel increato reali: ergo habet distinctam cognoscibilitatem immediatè, & in se præter cognoscibilitatem illorum: ergo potest immediatè, & in se cognosci, & non mediante cognitione, vel intellectu creato: ergo. Minor sic probatur; quia scientia Dei est omniscientia, quia est infinita: sed sub omniscientia est hoc cognoscibile eo modo, quo est cognoscibile: sicut sub omnipotentia est omne possibile eo modo quo est possibile: ergo ens rationis, quod immediatè cognoscibile est ab intellectu creato, est cognoscibile immediatè ab omni scientia Dei, & à Deo.

Dices; sicut non valet, aliquid est cognoscibile discursiue, & abstractiue à creaturis: ergo discursiue & abstractiue est cognoscibile à Deo; sic similiter ens rationis est immediatè cognoscibile à creaturis: ergo est immediatè cognoscibile à Deo.

Sed contra, quia quando modus, quo potest cognosci illud obiectum non dicit secundum se imperfectionem, si conuenit creaturis, perfectioni, & eminentiori modo conuenit Deo; imo non potest conuenire respectu creaturarum, quin conueniat respectu Dei. Et ratio à priori est, quia id, quod fuerit perfectio sine imperfectione debet attribui Deo continenti omnem perfectionem sine imperfectione; quia uti infinite perfectus est omnipotens, ut patet, & quia cognoscibile intuitiue secundum se est perfectio sine imperfectione, & est respectu creaturæ necessario attribuitur Deo, & quia cognoscibile ut est ens rationis cum veritate est perfectio, & conuenit creaturæ necessario est concedenda respectu Dei. Econtra vero cognoscibile discursiue debet imperfectionem discursus, nam discursus dicit imperfectionem actum intellectus realiter distinctorum, abstractiue cognoscere dicit imperfectionem, & ideo non conceditur Deo; imo inconsequenter dicunt aduersarij abstractiue non posse cognosci à Deo, cum de facto deatur cognitio abstractiua in Deo respectu entis rationis in eorum sententia; ipsi namque dicunt, Deum non cognoscere immediatè ens rationis in se, sed solum in intellectione creata; quod est abstractiue cognoscere: ergo vel male arguunt, vel imperfectionem à se concessam in cognitione abstractiua ponunt in Deo; quod an sit securum in fide, ipsi viderint? Ego enim iam video ita non esse: sed cognoscere immediatè ens rationis ut in se est factum, cognoscendo esse factum, nullam dicit imperfectionem: ergo Deus cognoscit illud ens rationis immediatè, & ens rationis est cognoscibile respectu Dei immediatè.

Hæc minor sic probatur, quia cognitio vera secundum se immediatè terminata ad obiectum non est imperfectio, imo est perfectio: ergo scire immediatè aliquod obiectum, non est imperfectio; hoc sic patet, quia vel illa cognitio dicit imperfectionem; quia est immediatè cognitio vera, ut sic, & hoc est falsissimum, quia Deus immediatè cognoscit verè multa, ut hominem, &c. vel quia est immediata cognitio tam imperfecti obiecti; & hoc etiam non: Nam peccatum, aut perfectius est ente rationis, aut æquè imperfectum, aut ad minus est imperfectissimum, & nihilominus Deus cognoscit immediatè

peccata ut in Scriptura patet: increpate illa in se, ut fornicationem, idololatriam, homicidium. Item in lege Decalogi ait, non occides, non falsum testimonium dices, &c. ubi immediatè, cognoscit Deus peccata, & loquitur de illis, imo super viam demonis quæ consistebat in fictione illius, qui fingeat se esse æqualem Deo increpat; ac de figmento illo pœnas dignas, ac debitas repetit, imo Deus illudens Adamum, ait; ecce Adam quasi vnus ex nobis, ubi apertè cognoscit Deus, & explicat, se cognoscere illud figmentum Adam, illudque portentosum ens rationis, se nimirum Deum esse, cum sit creatura, se enim falsum à Deo credebat, & ad diuinitatis statum assensurum putabat Adam; quod Deus increpat, & illudit, & increpando immediatè indicat se euidenter cognoscere immediatè, & non medio aliquo: ergo iam Deus immediatè cognoscit ens rationis: ergo illud cognoscere nullam dicit imperfectionem.

Item, quia si ex eo quod ens rationis est imperfectum, non posset cognosci immediatè, etiam peccatum, quod imperfectissimum est non posset cognosci propter eandem rationem; ubi enim est eadem ratio formalis, est idem effectus, vel quasi effectus formalis: sed licet sit imperfectum, cognoscitur immediatè; ergo licet ens rationis sit imperfectum cognoscatur immediatè. Nam sicut est summa perfectio scientiæ verè cognoscere etiam minutissima, & infima; ita etiam est summa perfectio verè, & immediatè cognoscere infima, & imperfectissima; quia ex imperfectione obiecti cogniti nulla refunditur imperfectio in cognoscentem: ergo. Item quia illa ratio, seu modus ex parte cognitionis: quæ potest dari in Deo, respectu vniuersi, licet perfectum sit vnum, & imperfectum aliud obiectum respectu cuius datur, potest dari respectu omnium, imo si esset imperfectus ille modus respectu nullius conueniret Deo, quia quod est imperfectio respectu nullius est concedenda in Deo: sed ille modus immediatè cum veritate cognoscendi conuenit Deo respectu sui, hominis, leonis, &c. ergo etiam potest sine imperfectione conuenire illi respectu cuiuscunque entis rationis; v. g. quia modus cognoscendi simplicissimè cum veritate, euidenter intuitiue, & certissimè conuenit Deo respectu sui, conueniunt sine aliqua imperfectione respectu omnium, etiam respectu entis rationis: sed immediatè, & in se cognoscere est modus perfectus sine imperfectione cognoscendi respectu sui, Angelorum &c. ergo etiam conueniet Deo respectu cuiuscunque, etiam respectu entis rationis.

Econtra vero, quia modus cognoscendi dubitanter dicit imperfectionem, & quia modi opinatiue falsè, obnoxie falsitati, discursiue &c. dicunt imperfectionem respectu nullius, nec entis realis nec rationis conueniunt, nam respectu Dei quod semel conuenit in ordine ad aliquod obiectum sine imperfectione respectu omnium potest competere illi, quia cognitio Dei, cum non dependeat ab obiectis nec habeat esse ab illis, respectu omnium eadem permanet sine mutatione, aut vicissitudine: sed immediatè cognoscere conuenit Deo cum perfectione sine imperfectione: ergo respectu omnium conuenit, etiam respectu entis rationis sine imperfectione cum perfectione summa; vnde cum de aliquo obiecto dubitatur, an in se cognoscatur respectu Dei, ut

Quaest. VIII. Vtrum Deus cognoscat, &c. 51

de futuro contingenti absoluto, & conditionato, de possibilitate creaturarum, de priuatione, & negatione est quia dubitatur, an sit in se immediate cognoscibile, & ideo statim ac conuincitur esse tale obiectum cognoscibile in se respectu cuiuscumque intellectus, statim conuincitur, & conceditur cognosci à Deo, quia quidquid sine imperfectione, vel ablati imperfectionibus cognoscitur à creatura, debet perfectiori modo cognosci à Deo, quia infinita Dei scientia non solum cognoscit: sed etiam supercomprehendit omnia imaginabilia, cognoscibilia, & opinabilia à creatura propter suam infinitam perfectionem cognoscendi. Deinde probatur ex solutione argumentorum simplicium.

Secundo & interrogo quare Deus non cognoscat ens rationis directè, & immediate? Dicit Simplicius quia tunc cognosceret rem aliter ac est, quæ imperfectio non cadit in Deum.

Contra, quia quando obiectum est cognoscibile mediata cum veritate, etiam potest cognosci cum illa & sine imperfectione, mediatum autem, & immediatus modus cognoscendi non facit quod cognoscatur res vt in se est, cum veritate, vel falsitate vt in se non est; v. g. homo potest cognosci in Deo, vt in speculo, vel in omnipotentia Dei, quod est mediata cognoscere cum sit cognoscere in causa, & quia potest tunc cognosci cum veritate vt in se est sine fictione, potest etiam cognosci immediate in se sine fictione; modus enim immediatus cognoscendi rem non facit quod obiectum, quod cum veritate cognoscitur, falsè cognoscatur, ex eo solum quod cognoscitur nunc immediate, quod antea mediata cum veritate cognoscebatur; quod euidenter sic concluditur.

Nam quidquid est etiam falsum, si in se cognoscibile est, immediate est cum veritate cognoscibile, quia cognoscibilitas alicuius est quædam non repugnans, vt cognoscatur vt in se est; sed ens rationis est cognoscibile immediate vt supra demonstratum est: ergo est cognoscibile vt in se est immediate: ergo verè cognoscibile immediate, cum verè cognoscibile sit illud, quod cognoscibile est, eo modo quo est in se. Deinde quia vt supra probauimus à me, & à quocumque desinente ens rationis verè, & immediate cognoscitur, & sine aliqua falsitate: ergo est cognoscibile cum veritate immediate: ergo à fortiori à Deo est cognoscibile immediate cum veritate summa, imò falsum est dicere, quod à Deo sit mediata cognoscibile cum veritate, & à creatura mediata, & immediate cum veritate; & à Deo solum mediata cum veritate, & immediate cum falsitate; nam cum veritate cognoscere siue mediata, siue immediate est perfectio sine imperfectione: ergo debet attribui Deo si respectu creaturæ datur perfectio cognoscendi cum veritate tam mediata, quam immediate ens rationis, & respectu Dei dabitur illa perfectio cognoscendi tam mediata, quam immediate ens rationis cum veritate; sicut quia error Arii, qui ens rationis est, cognoscitur tam mediata, quam immediate à creatore Doctore, & Angelo, etiam cognoscitur tam mediata, quam immediate cum veritate à Deo, quia hoc modo cognoscere summa & Deo digna perfectio est, & illam negare indignum est infinitæ perfectioni diuinæ omnia vt in se sunt immediate, etiam minutissima scienti, & comprehendenti; ideoque ait

I. P. Tom. II.

Paulus, omnia nuda & aperta sunt oculis eius.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta aduersariorum dissoluntur.

Ad primum primæ sententiæ argumentum respondetur, negando, quod ex eo quod Deus cognoscat ens rationis, efformet illud. Ad probationem illius nego maiorem; ad secundam probationem istius maioris negatur etiam maior. Ad tertiam probationem distinguo, non concurrat intellectus humanus, actualiter concedo; potentialiter, nego. Nam licet verum sit, quod actualiter non producat intellectus ens rationis, nihilominus possibilitatem habet tale ens, vt producat ab intellectu, ab ipsoque suam existentiam recipiat.

Item negatur suppositum, quod proptèr est ab æterno in intellectu diuino sit actu ens rationis existens, & actu fabricatum, tantum enim cognoscitur pro tunc speculatiue vt fabricabile, & vt fabricandum in tempore vt quid fictitium per cognitionem cognoscentem rem aliter ac est; ex hac autem cognitione non sequitur, quod conseruetur à Deo, quia sicut ens rationis non producit nisi per cognitionem fictiuam; cognitio autem Dei non est fictiua, quia est vera cognitio, & opposita fictiue, imò potius vt diximus, est quasi destructiua entis rationis, cum per illam cognoscat Deus, hominem detipiendum esse in tali fabricatione. vt iam supra diximus, conseruaret vtique ens rationis, si cognosceret quod non est, ac si esset; vel si affirmaret Deus ita esse illud obiectum vt cognoscitur à cognitione fingente, vt diximus de iudicio Barbari, quod quia oritur à simplici apprehensione falsa, per quam cognouit lunam esse minorem rota curru, iudicium affirmat ita esse, vel quia hæreticus per simplicem apprehensionem fallitur cognoscendo Deum non esse trinum, confirmat per iudicium similiter iudicando Deum non esse trinum, quod iudicium certè non seruat ens rationis factum à simplici apprehensione, quia tam fallitur hoc iudicium, quam illa simplex apprehensio circa idem obiectum, quod aliter euenit in homine sapiente & catholico, qui per simplicem apprehensionem cognoscit vt senem Patrem æternum, & Angelum vt iuuenem alatum; per iudicium vero corrigit dicendo, & iudicando non esse ita vt simplex apprehensio cognoscit; imò affirmat Deum nihil habere senectutis, & Angelum minime esse iuuenem, fallitque simplicem cognitionem, de quo iudicio quis poterit dicere conseruare ens rationis fictum à simplici apprehensione, quin potius dicendum est tale iudicium esse destructiuum entis rationis facti à simplici apprehensione; sic similiter cognitio Dei, quæ cognoscit ens rationis esse fictum ens potius destruit, quam conseruat ens rationis factum ab homine, sicut quando cognoscit mendacium esse tale potius destruit quam conseruat illud.

Ad secundum conceditur tota illa maior quanta sit, & nego minorem; ad probationem nego quod ab æterno ens rationis habeat existentiam, seu esse existentielle, solum enim co-

gnoſcit Deus ens rationis, vt poſſibile, vel vt poſtea producendum, vnde cum nondum ſit fictum non à creatura, quæ tunc non eſt; non à Deo, quia non cognoscit rem aliter ac eſt, ſed ſolum verè cognoscit Deus ens rationis, vel vt poſſibile, vel vt futurum ab intellectu creato, ideo ſolum poſteſt dici talem poſſibilitatem entis rationis habere à Deo eſſe extrinſecum cognitum quod potius eſt reale quam rationis, quia verè à parte rei cognita eſt à Deo talis poſſibilitas entis rationis; vnde ſumpta hac conſtitutione entis rationis ab æterno ex parte cognitionis diuinæ realis extrinſeca denominatio eſt, vt latè diximus explicantes naturam & eſſentiam entis rationis, vnde cum hic non quaeramus de eſſe extrinſeco entis rationis, ſed potius de eſſe intrinſeco apparente & ficto; inde eſt quod optimè negetur à nobis ens rationis habere eſſe ab æterno actuale.

Confirmatur ac declaratur, Deus cognouit ab æterno hæreſim Arrianam & negationem Trinitatis in Deo ab Arrio fictam, quæ hæreſis minime habuit eſſe actuale ab æterno, quia non fecit illam Deus, cum ſolum cognouerit talem hæreſim vt poſſibilem, & vt futuram ab Arrio; vnde abſolute dicendum eſt hæreſim ab æterno non habere eſſentiam: ſed tantum poſſibilitatem eius actu eſſe cognitam vt ſic, quæ denominatio, vt diximus, realis eſt ſumpta ex parte cognitionis diuinæ; cum autem talis denominatio extrinſeca non ſit eſſentia hæreſis obiectiue, quia talis hæreſis quando exiſtit, exiſtit intrinſecè, fictiue, & apparenter; inde eſt quod licet cognoscatur à Deo actu ab æterno; & ſit cognita actu cum ex vi illius cognitionis non cognoscatur res aliter ac eſt; ideo colligitur neceſſario ab æterno non eſſe actu hæreſim, ſeu monſtram illud fictum ab Arrio, quod eodemmodo euenit in quocumque ente rationis, vt diximus.

Ad illud autem, quod ait Vazquez, illud nimirum eſſe obiectivum, nec eſſe, nec poſſe eſſe. Respondetur cum P. Hurtado, quod licet habeat illud eſſe obiectiue in Deo, non tamen habere eſſe obiectiue tantum in mente diuina, nam etiam ex parte obiecti eſt, ſicut obicitur intellectui diuino; vnde non obicitur diuerſo modo intellectui diuino quo in ſe eſt, ens autem rationis licet nullum habeat eſſe in ſe reale actuale, nec poſſibile, habet tamen in ſe eſſe fictum in aliqua differentia temporis, ſeu vt melius loquar fingendum, futurumque, vel ſaltem eſſe fingibile, & vt tale cognoscitur à Deo; nam vt obiectum poſſit à Deo verè cognosci, ſufficit ſi cognitio Dei poſſit illi conformari exprimendo illud, ſicut in ſe eſt poſſibile, vel futurum, vel fictum actu, nam licet eſſe obiectiue habeat formaliter à Deo, tamen non habet eſſe obiectiue tantum in Dei cognitione: ſed ex parte obiecti eſt illud, ſicut obicitur menti diuinæ, quod non contingit in cognitione fingente.

Ad illud, nec obſtat, respondetur ſimiliter negando Deum facere ens rationis, quia cognoscit illud, nam licet poſſibilitati entis rationis tribuat Deus eſſe cognitum extrinſecum, cum illud non ſit fallum eſſe, & fictum: ſed potius ſit vera denominatio extrinſeca realis, proueniens à cognitione diuina percipiente rem ſicuti eſt; inde euenit quod minime fingat Deus ens rationis, ſicut ex eo quod Deus cognoscat ab æterno

mendacium, non ſequitur à Deo produci, vel fingi illud, vt patet ex ſupradictis.

Ad tertium respondetur cum diſtinctione, nihil aliud eſt quam obici, ſi obicitur res aliter ac eſt, concedo; ſi non obicitur niſi vt eſt, nego.

Ad quartum, negatur antecedens, ad probationem antecedentis nego ſecundam partem illius, nimirum quod non poſſit repaſcentari per alium conceptum formalem; quis enim dicit hoc gymnaſium, quod cognoscitur ab vno, non poſſe ab alio iterum atque iterum, imo milles cognosci. Deinde experientia docet, quod actus reflexus tendit in idem obiectum vt cognitum, & vt obicitur actui directo, hac enim de cauſa talis actus reflexus vocatur, ita ſimiliter poſteſt cognoscere animal, & rationale in homine eſſe idem inter ſe & ab intellectu humano, non obſtante illa identitate propter ſuam imperfectionem diſtingui illa prædicta, quæ cognitio Dei, quatenus terminatur non ſolum ad res reales, ſed ad ſigmenta hominum non tamen fingendo illa: ſed potius cognoscendo eſſe ficta ab homine ſumma perfectio Dei eſt; vnde falſo Deo à contrariis denegatur.

Ad argumentum Smigleſij nego maiorem; deinde negatur quod omnis cognitio entis rationis ſit cognoscere rem aliter ac eſt, vt patet ex demonſtrationibus ſupra factis; deinde falſum eſt dicere, quod ex eo quod ens rationis ſit ficta vno entium, debeat cognosci fictè, nam quicumque fictio, & ſigmentum, ſi vt in ſe eſt cognoscatur, non fictè ſed verè cognoscitur, & verè eſt cognoscibile, vt patet ex ſupra latiffimè dictis; vnde riget & alget hæc ratio, ſolum debet addi, quod omne obiectum creatæ cognitionis idem ipſum, quod à creatura cognoscitur, cognoscatur à Deo, vt paſſim ait D. Thom. vt ſupra prima ratione probauimus, ſed in fictis cum hoc diſcrimine, vt illud quod creatura cognoscit per cognitionem fingentem, Deus cognoscat cum ſummè vera cognitione, vt quod creatura per aſſenſum falſum cognoscit Deus per diſſenſum verum; vnde idem ipſum obiectum, quod creatura cognoscit aliter ac eſt in ſe, Deus cognoscit ſicut eſt in ſe, & etiam ſicut cognoscitur à creatura per deuiationem à veritate, quam intuetur in actu creato Deus verbi gratia, homo cognoscit Angelum, vt iuuenem alatum; Deus autem cognoscit Angelum, & cognoscit non vt iuuenem, ſed vt ſpiritum puriſſimum, & ſimul cognoscit talem Angelum cognoscei ab homine vt iuuenem alatum, deuiano à veritate, & ſic penetrat falſitatem aſſenſus creati, cognoscendo obiectum illius aſſenſus non eſſe ſicut à creatura cognoscitur, deuiaque creaturam in ſua cognitione à veritate, quia non conformatur cum ſuo obiecto, quatenus eſt à parte rei.